





DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IURIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
**IVRE PUBLICO**  
**POPVL<sup>I</sup> ROMANI**

AD L. I. §. 2. D. DEI. ET I.

QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORATATE  
PRAE S I D E

**IOANNE FRIDERICO EISENHART**

I. V. D. SERENISSIMO BRVN. ET LVNEB. DVCI A  
CONSILIIS AVLICIS FACVLT. IVRIDICAE ORDINARIO  
SOCIETAT. TEVTON. PRAESIDE, ORDINIS SVI

H. T. DECANO ET PROMOTORE

PRO  
SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS  
IN IVLEO MAIORI

A. D. XXI DECEMBERIS MDCCCLXIV  
MORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONVENTIS  
PUBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR

**CAROLVS ANTONIVS KEVFFEL**

HELMSTADIENSIS.

HELMSTADII

LITERIS VID. F. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.

1764, 4

234

4

DILEXIT ATQ[UE] LIBERIDICU M[AR]TINUS AURELIUS

LIB[ER]I P[ER]FICIO

DOGLYI CONANI

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

CAROLO

DVCI BRVNSVICENSIVM ET

LVNEBVRGENSIVM

PRINCIPI AC DOMINO MEO

CLEMENTISSIMO

SERVATISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

CAROLO

ET CLEMENTI

PARADISO

PRINCIPI AC DOMINO MEO

CLEMENTI

SERENISSIME PRINCEPS  
DOMINE CLEMENTISSIME.



*uspicia laeta babent aliquid quod  
erigit animos, et spem pulcher-  
rimam affert, fore, ut quae  
deinceps agenda sunt, ad votum succedant  
omnia;*

omnia; ideoque publicis priuatisque in rebus  
ea et captata et procurata esse legimus.  
*Iustinianus Imperator*, cum specialiter man-  
dauisset, vt sua auctoritate suisque fusioni-  
bus Institutiones componerentur, quae essent  
totius legitimae scientiae prima elementa, au-  
spicatus initium legum eruditionis praedica-  
bat, quod a principali voce procederet, et  
cupidae legum iuuentutis felicitatem illam  
gratulabatur.

Indulgebit mibi *TVA, SERENISSI-*  
*ME PRINCEPS*, clementia, vt, quem-  
admodum supremos in iure honores *TVIS*  
*auspiciis consequor*, ita etiam primitiae studio-

*rnum,*

rum, quas exhibet disputatio inauguralis, a  
splendore principali felix auspicium habeant,  
ideoque sacratissimo TVO nomini eas subieclisse-  
me dicare sustineam. Audaciorem me facit emi-  
nens illa, lateque celebrata excelsi animi TVI  
ad artes et scientias, quibus salus ciuitatum  
communitur, alendas, protegendas, iuuandas  
propensio, quae clementissime se diffundit ad ea-  
rum cultores, vt monumenta, quibus virtutes  
TVAS venerantur, non asperneris. Animos  
sumam ad ulteriores conatus, si dignus tanta  
reperiatur felicitate, vt TANTO PRIN-  
CIPIEOS approbare possem.

Sofpi-

Sospitet Deus TE, DOMINE CLEMENTISSIME, in seros annos, prosperet consilia quae pro salute patriae suscipis, gloriam TVAM et felicitatem domus Guelphicae omni adaequet aeternitati. Ita vovet

SERENITATIS TVAE

Cultor humillimus et subiectissimus  
CAROLVS ANTONIVS KEVFFEL.



DE  
IVRE PVBLICO  
POPVLI ROMANI  
AD L. I. §. 2. D. de I. et I.

PROOEMIVM  
DE  
DVABVS IVRIS POSITIONIBVS.

§. I.

E st non solum pars nobilis studii erudi- Positio-  
tae antiquitatis, quae circa mores et nes iuris  
instituta populi Romani, gentium vi-Rom.  
etoris ac triumphatoris, illustranda  
versatur, sed monente VLPIANO in  
l. i. §. 2. D. de I. et I. est etiam pars ipsi-  
us jurisprudentiae Romanae. Huius, inquit, studii duea  
sunt positiones, publicum et priuatum. Publicum ius est,  
A quo

quod ad statum rei Romanae spectat: priuatum, quod ad singulorum utilitatem. Vulgo hoc non satis attendimus, nec hac praceptione vtimur, ad tribuendum studio iurisprudentiae Romanae omnem suam amplitudinem. Minus folliciti sumus de cognoscendo iure publico, quasi notitia status publici parum conferret ad constitutionem et intelligentiam iuris priuati. Alia est sententia virorum in hoc doctrinac generi praestantium. BARN. BRISSONIUS in Ep. libro I. Ant. Sel. praemissa, hac de re ita scribit: *Magnam omnino iuris ciuilis scientia rerum veterum memoriam desiderat, nec nisi ab eo, qui totius antiquitatis animo perceptam cognitionem habeat, digne ac meretur, explicari potest.* Addit, qui contra sentiunt, ignorare, quibus ex fontibus ius ciuale haustrum sit: quod si, uti est, ex populi Rom. legibus institutisque descriptum fateantur, hoc quoque concedant necesse est, ei qui in ICTorum libris non dicam cum voluptate, sed et cum fructu versari volet, totum rerum Romanarum statum tenendum esse. Eadem mente Vlpianum illud inculcasse arbitror, studii iuris Romani duas esse positiones.

## §. II.

Ius publi-  
cum.

PUBLICVM dicitur, quod ad ciuitatem vniuersam spectat. Quando ciuitas constituitur, illi qui in ciuitatem coeunt, consentiunt in finem ciuitatis propositum coniunctis viribus obtinendum, et vel singuli se subiiciunt vniuersis, quod ea facere velint quae ad finem consequendum facienda sunt, vel ius vniuersorum tranferunt in personam vnam vel plures coniunctim, ad illud fini ciuitatis conuenienter exercendum. Sic oritur imperium publicum, complectens iura varia, quae ad bonum publicum promouendum requiruntur. Scientia iurium, quae ex notione ciuitatis concipiuntur, dirigendi actiones singulorum ad finem ciuitatis, et obligationum illis respon-

spondentium, dicitur ius ciuitatis, seu ius publicum vniuersale, idque commune est omnibus ciuitatibus. Quia ius exercendi partes potentiales imperii ciuilis diuersimode constitui potest, oriuntur diuersae rerum publicarum formae, et modus determinatus administrandi partes potentiales imperii publici in ciuitate data, efficit ius publicum particulare istius ciuitatis.

## §. III.

**I**URA imperii publici reuocant recentiores ad duo Ius publica-  
capita potiora, ad potestatem leges ferendi, et potesta-  
tem exequendi, cuius species nobilissima est potestas iu-  
diciaria. Populus Romanus ab initio ciuitatis assueuerat  
libertati ciuili, et multo magis exactis regibus eam amplificare studebat. Habebat senatum et varios magistratus, quibus certae partes datae erant circa potestatem le-  
ges ferendi; et statuta exsequendi, sed ita limitatae, ut  
populi partes plerumque essent potiores. Sed et ab  
optimatibus inuecta erant media subigendi populum, ne  
potestate sua abuteretur ad salutem publicam euertendam.  
Roma habebat instituta admiranda, inquit de MONTESQ.  
*Esprit des Loix L. XI, c. 16.* eaque erunt obiectum huius  
tractationis. Ostendum erit quale fuerit regimen ci-  
uitatis, quae ordinum differentia, quas partes in negotiis  
publicis sibi vindicauerit populus, et quas senatu, facer-  
dotibus, et magistratibus permiserit. Mirifice prodest  
haec status publici notitia ad constitutionem iuris priuati  
perspecte animo comprehendendam, nam plurima est in  
omni iure ciuili antiquitatis effigies, et actionum genera  
quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant. CIC.  
*de Orat. I, 43.*

## A 2

## §. IV.

## §. IV.

Ius pri-  
uatum.

**TVS PRIVATVM**, quod spectat utilitatem singulorum, determinat iura et obligationes ciuium in societatis minoribus, coniugali, paterna, herili et domestica; defendit ius securitatis, tuerit dominium rerum, et unicuique tribui curat, quod ipsi ab alio debetur. Eo in ciuitate opus est, ut obligatio naturalis fiat ciuilis, et ut determinetur, qua ratione lites in foro exitum habere debeant. Valde interest, illud ita esse expolitum et perfectum, ut litibus omnibus dirimendis, laesionibus et fraudibus reprimendis sufficiat. In hac parte iurisprudentiae adeo elaborarunt Romani, ut gentibus omnibus palam praeriperent. *Incredibile est*, inquit *cic. de Orat. I, 44.* *quam sit omne ius ciuale praeter hoc nostrum, inco- ditum ac paene ridiculum.* Sed de iure priuato hic pluribus non agendum.

## §. V.

Capita  
tractatio-  
nis,  
cludam,

**TRACTATIONEM** de iure publico his **capitibus in-**

- CAP. I.** De statu rei Romanae sub regibus.
- II. De forma reipublicae electis regibus.
- III. De Ordinibus ciuium Romanorum.
- IV. De iure ciuitatis et Quiritium.
- V. De comitiis populi Romani.
- VI. De Sacris et Sacerdotibus.
- VII. De Magistratibus Populi Romani.
- VIII. De Iudiciis populi Romani.
- VIII. De oneribus publicis ciuium Romanorum.

Facile apparet, in tanta argumentorum copia operam mihi esse dandam ut, quae de quaue re in primis notanda sunt, feligam, praetermissis minus ad scopum facien-

## CAP. I. DE STATV REI ROMANAE

5

facientibus. Aequi bonique, vt spero, consuletur sp̄cimen iuvenile, quo forte non aliud declarabitur, quam me operam dedisse, ne plane ignorarem quae eruditis dudum intimius perspecta fuerunt. Speciatim mihi obili ci posset, ipsum hoc argumentum solide et ornatissime pertractatum a Consultiss. D. de SELCHOW in *Element. Antiquitatum iuris Rom. publici et priuati*, quod lubentissime fateor; sed forte idcirco non reprehendendum videbitur consilium, quod et ego has Veneres sectari, et rerum Romanarum cognitionem inexhaustam denuo illustrare scribendo sustineo, nemo enim unus omnem occupat veritatem.

### C A P. I.

#### DE STATV REI ROMANAE SVB

R E G I B V S.

##### §. I.

STATVS rei Romanae tres habuit vicissitudines, regnum, Initia rei libertatem et imperium. Status duo priores sunt illi, Rom., quorum cognitio praecipuum vtilitatem haberet in iurisprudentia, et quos hac commentatione illustrare constitui. Regnum duravit per CCXLIV annos, sub VII regibus. Exactis regibus respublica dicebatur libera, quia legibus erat redditus, est enim libertatis argumentum si leges imperant. A principio reges vrbum Romanam habebant. Cum enim iam tempus moneret de futura reipublicae forma dispicere, et Romulus convocatam multitudinem iussisset per otium deliberare, num vni rectori an paucis parere mallent, respondebant, sibi regium imperium non displicere, et Romulum regno dignum habebant, qui et-

A 3

iam

iam captatis auspiciis rex declarabatur. Formam reipublicae ira temperabat, vt rex sacris praeesset, ius dicebat, bella administraret, consilio senatus in negotiis publicis vteretur, populum rogaret: patres confilii publici principes essent, et magistratus gererent: populus denique in comitiis de legibus ferendis, de magistratibus creandis, de bello et pace curiatim suffragia ferret. DION. HAL. l. 2, p. 87, Edit Wechel.

## §. II.

Divisio POPVLVM bifariam dividebat Romulus, in tribus populi in et curias, in Patricios et plebeios. Tribus erant partes populi, in quas descriptus erat pro loco et regione quam habitabat. Distribuerat Romulus urbem in tres partes, et populum in tres tribus, quae etiam generibus hominum differebant. Prima dicebatur Ramnenium, in quam Romanii Albanique: altera Tatiensium, in quam Sabini: tertia Lucerum, in quam praeter Etruscos, omnis reliquus populus, qui in urbem se contulerat, coniectus erat. Cum vero res Romanorum quotidie augeretur, sub Tarquinio Prisco numerum tribuum duplicatum inuenimus, ita vt primi et secundi Ramnenses, Tatienses et Luceres dicerentur, Neuio augure non permittente, vt rex tribus addititias a se atque ab amicis suis denominaret. Deinceps vero Seruius Tullius, urbe in quatuor partes diuisa, quatuor tribus urbanas fecit, easque e regionibus nominavit Palatinam, Suburanam, Esquilinam, Collinam, sanctiuitque vt, qui in tribuum istarum aliqua habitarent, alio ne commigrarent, aut alibi censerentur, aut tributa conferrent. Luxta has tribus ordinavit militiam, tribunis in singulas praepositis; vnde simul patet, quorsum divisio illa populi in tribus fuerit comparata, nempe ad rem militarem apte disponendam. Adiunxit porro Seruius

vius tribubus urbanis rusticas, initio a locis, postea a familiarum illustrium nominibus appellatas. Sed quor et quae tribus factae sint, cum nec satis distincte nec uniformiter proditum sit a veteribus, dubitationum scrupulos euellere conatus est SIGON. de A. I. C. R. l. 1, c. 3. qui consulendus. Ciceronis tempore XXXV tribus fuerunt.

## §. III.

SINGULAS tribus subdivisit Romulus in decem curias, ut earum omnino triginta essent, qui numerus in curias  
 vrbe perpetuo mansit, aucto licet tribuum numero. Diuisio  
 haec duplicum habuit rationem, vnam, ut per curias  
 sacra facerent, alteram, ut curiatim suffragia ferrent. Sacra ita ordinabat Romulus, ut singulæ curiae  
 suas haberent aedes, in quibus sacra ficeret flamen cu-  
 riae, qui Curio dicebatur; ut singulis curiis suos assi-  
 gnaret diuos, quos colere deberent, et ut festis diebus  
 curiales vna cum curionibus epulum sumerent in foro  
 curiali, sumtibus ad sacra e publico constitutis. Omni-  
 bus curionibus praeerat qui Curio Maximus dicebatur.  
 Altera ratio institutarum curiarum fuit, ut per eas comi-  
 tia legum ac magistratum agerentur. Curias a Romulo  
 appellatas dicit Pompon. l. 2. §. 2. D. de O. I. propterea  
 quod tunc reipublicae curam per sententias partium carum  
 expediebat: et ita leges quasdam et ipse curiatus ad populum  
 tulit. Scilicet ubi lex ferenda erat, rex indicebat comi-  
 tia, legem rogabat, curiae ibant in suffragia, et quod  
 plures sciuerant, legis curiatae nomine veniebat. Ipsi  
 regibus lege curiata imperium dabatur. Si curia ciuium  
 Romanorum coetum significat, etiam agri Romani habi-  
 tatores curiis fuisse comprehensos, et in curiatis comitiis  
 suffragia dixisse, obseruat N. GRUCH in refut. ad poster.  
*Sigoni disput. sect. 2. no. 6. idque probat e DION. HAL. de  
 regis*

8 CAP. I. DE STATV REI ROMANAЕ.

regis Tullii designatione l. 4. p. 218 sic scribente: *Diem indicit comitiis, quibus agrestium quoque multitudinem uniuersam interesse voluit. Coit curiatim populus, et distribuantur per singulas curias calculi. Itaque omnium curiarum consensu dignus regno iudicatus. Municipia vero, coloniae, praefecturae, vti extra agrum Romanum sitae erant, ita etiam curiis non comprehendebantur, sed tribubus tantum atque classibus.*

§. IV

Patricii et plebeii. **DIVISIONI** in tribus et curias Romulus addebat alteram in gentes, vt alii de populo essent Patricii, alii Plebeii. Secernebat nempe genere illustres, virtute celebres, opibus abundantes, ab obscuris et egenis. Hos plebeios dicebat, illos Patres ab honore, eorumque progenies patricii appellati. *l. v. I. 8.* Assignabat utrisque sua munia: patriciis, vi sacra curarent, magistratus gererent, ius redderent, secum rempublicam administrarent, et ex eorum ordine centum legebat senatores: plebeiis, vt agros colerent, pecora alerent, opificia quaestuosa exercerent. Haec distributio populi in gentes, et assignatio diuersorum muniorum a Romulo profecta, adeo altas radices egit in animis, vt etiam sub libera republica patricii plebeiis honorum petitionem difficillime concederent, diuque contendenter eos solis patriciis deberi. Patricii alii dicebantur maiorum gentium, alii minorum gentium. Legerat Tarquinius Priscus centum in patres, qui deinde minorum gentium sunt appellati. *l. v. I. 35.*

§. V.

Ius patronatus. **PATRICIORVM** et plebeiorum concordiae vt suleret Romulus, mutuis illos inter se officiis deuincendos ducebat, ideoque instituebat ius patronatus. Vi hu-  
ius

ius instituti quisque plebeius patronum e patriciis sibi eligere poterat quem velleret, et patronorum erat clientibus respondere de iure, absentium et praesentium curam gerere, lites pro illis suscipere, si in ius vocarentur sustinere accusatoris impetum, pro illis facere quicquid parentes pro filiis facere solent. Clientum erat patronos in elocandis filiabus iuuare, captos redimere, muletas pro eis soluere, in magistratibus et muniberis gerendis sumptuum partem sustinere. Commune utrisque erat se iniucem non accusare, aut aduersum dicere testimonium, ferreue suffragium, aut censeri inter inimicos. Exemplo huius iuris, coloniae, ciuitates sociae et deuictæ patrons Romae habuerunt. DION. HAL. l. 2, p. 83 seqq. Habuit hoc institutum etiam effectus notabiles in iurisprudentia. Inde origo ICtorum, qui omnium promiscue cauissas egerrunt, et quae olim patronorum fuerant, in se transtulerunt officia. HEINECC. Ant. Rom. l. 1. tit. 2. §. 29. Inde regnum forense apud patricios, quod tanquam aitiam possessionem magna cura tutabantur.

## §. VI.

SERV. TULLIVS, rex prudentissimus, auctor fie-Classe et  
bat nouae diuisionis, distribuendo populum in sex clas-<sup>centu-</sup>  
ses, et classes in centum tres ac nonaginta centurias, riae-  
non regionem, nec sacrorum communionem, sed cen-  
sum secutus. Ditissimos in primam, ditiores in secun-  
dam, diuites in tertiam, mediocres in quartam, modi-  
cos in quintam, tenuissimos in sextam classem conicie-  
bat. Primae classis homines dicebantur Classici, reliqui  
infra classem. GELL. VII, 13. Classis prima ditissimorum,  
quamvis non esset numerosissima, diuisa tamen, erat in  
centurias XCVIII, adeoque ea sola superabat classes  
quinque reliquas tribus centuriis. Tenuissimorum una

B

dun-

duntaxat erat centuria, in qua etiam erant proletarii et capite censi, qui aut nullo, aut minori saltem quam proletarii aere censabantur. Prouido consilio hanc diuisiōnem commentus erat Seruius. Si enim milites legendi erant, si sumtus ad bellum conferendi, imperabatur secundum centurias, et sic fiebat ut opulentissimi et saepius militarent, et plus pecuniae conferrent quam caeteri. Vicissim vbi in comitiis de rebus ad rempublicam pertinentibus statuendum erat, primae ad suffragia ferenda vocabantur ditissimorum centuriae, et quia numero vincebant, raro incidebat ut secunda classis vocanda esset, nec fere vñquam ita descenderunt, ut ad infimos peruerirent. LIV. I, 43. Sic itaque callide remotis tenuioribus a reipublicae administratione, ea in ditiorum potestatem veniebat.

## §. VII.

**Forma  
reipubli-  
cae.**

FORMA reipublicae Romanae sub regum imperio mixta erat ex Monarchia, Aristocracia et Democracy, in quibusdam enim rex absolutam habebat potestatem, in aliis limitata erat per senatum et populum. cf. MON-  
TESQ. *Esprit des loix* l. XI, c. 12. Mutatio aliqua incidebat sub Serv. Tullio. Cum enim reges priores iudicia omnium litium ad se reuocassent, et de omnibus crimini-  
bus decreuissent, Seruius de regia potestate derrahebat dimidium, se quidem laesae reipublicae criminum facien-  
do iudicem, priuatarum autem personarum querelas ad  
alios delegando iudices. DION. HAL. l. 4. p. 228. imo plane de se excitauit opinionem, voluisse regium imperium in popularem formam transmutare. ib. p. 243. In omnia alia ruebat Tarquinius Superbus, eueris legibus omnia pro libidine acturus, sed a populo, libertatis memore,  
**regno pulsus.**

## §. VIII.

## §. VIII.

LIMITATÆ regum potestati obstare videtur, quod Manus dicit Pompon. in l. 2. §. 1. D. de O. I. Initio ciuitatis nostræ regia populus sine lege certa, sine iure certo printum agere instituit, omniaque manu a regibus gubernabantur. Manus videtur significare potestatem arbitriariam, adeoque illimitatum imperium. Sed lex non agit nisi de iudiciis, eiusque mens est, populum Romanum initio ciuitatis non habuisse corpus aliquod legum, quale postea nocti sunt promulgatis XII tabulis, sed omnia gubernata esse regum arbitriis, absque auctoritate legum scriptarum. Idem tradit DION. HAL. l. 10. p. 627. Quamdiu regnatum est in urbe, regum arbitrio lites dirimabantur, et quod iustum illi iudicassent, id erat pro lege. Quando TACIT. Annal. III. 26 dicit: Nobis Romulus, ut libitum imperitaverat, sensus est, eum non ex lege, non ex formula quae arbitrium coerceret imperasse, sed quo iure ipsi videbatur. BYNKERSH. in Praeterm. ad §. 1. de O. I.

## § IX.

SACRA et religio a principio ciuitatis cum summa Constitutio reipublicae ita copulabantur, ut sine ceremoniis sacro-tio sacrorum respublica geri non posset. Romulus regnum sibi sum delatum assumere solebat, antequam Deus auspicio certo electionem comprobasset, et morem instituebat ne quis sine auspiciis magistratum iniret, quae lex etiam sub libera republica in comitiis obseruata. Successor Romuli, Numa Pompilius, omnia quae ad religionem pertinebant, accuratius constituebat, ius pontificium, flaminium, augurale, feciale, ab Anco Marcio magis expolatum, aliaque iura sacra describebat, et generatim sic cauebatur, ne quid publici priuatiue sine religione deorum auspiciisque geri posset. Mibi ita persuasi, inquit Cotta

apud c. c. de Nat. Deor. III, 2. Romulum auspiciis, Numam sacris constitutis fundamenta iecisse nostrae ciuitatis, quae nunquam profecto sine summa placatione deorum immortalium tanta esse potuisset.

## C A P. III.

## DE FORMA REIPUBLICAE EJECTIS

R E G I B V S.

## §. I.

L. L. for- **L** IVN. BRVTVS, qui dux et auctor fuerat consilii de mae in- eiiciendi Tarquinii, correcturus incommoda, quae introducen regiam potestatem iniuisam fecerant, tria mutanda censem- dae, referente DION. HALIC. l. 4, p. 268. Primum erat, eos quorum curae posthaec committeretur ciuitatis incolumitas, non reges amplius neque monarchas vocandos, sed alio quopiam modestiore et humano vocabulo. Valuit consilium, et dicti sunt Consules ab eo, quod plurimum reipublicae consulerent. l. 2. §. 16. D. de O. I. Alterum erat, non vnius arbitrio committendam rerum summam, sed duobus, vt minus iniuriosi essent ambo- bus eandem vim obtinentibus, et alter alterum reuocaret a licentia. Non frustrauit spem euentus. Audiueram, inquit c. c. post redit. in Sen. c. 4, ex sapientissimo homine, atque optimo ciue et viro, Q. Catulo, non saepe unum consulem improbum, duos vero nunquam post Romam conditam, excepto illo Cinnano tempore fuisse. Tertium erat, imperium ipsis per totum vitae spatium non prorogandum, sed intra tempus annum contrahendum. Tanti hoc mo- menti erat, vt libertatis originem inde magis, quia annu- um

um imperium consulaire factum est, quam quod diminutum  
quicquam sit ex regia potestate, numeres. LIV. II, 1.

### §. II.

**C**ONSULES itaque, ut in locum, ita etiam in potestatem regiam succederunt. Primi regiam potestatem consumserunt L. Iun. Brutus, et L. Tarqu. Collatinus, insulam. Constitutio con-  
quit DION. HALIC. l. 5. p. 277. Retinuerunt etiam ex regiis insigniis sellam eburneam, vna cum praetexta candida, et lictoribus XII secures per vias praeferenibus. id. l. 4, p. 268. Ne autem duo reges vrbi praefecti vide-  
rentur pro uno, instituerunt ut alterum consulem XII se-  
cures praecederent, alterum XII lictores cum solis fasci-  
bus, vtque collegae singulis mensibus secures fibi vicissim traducerent, l. 5, p. 278. Postea Valerius secures ademit fascibus, moremque post se reliquit consulibus, ut tantum extra vrbum securibus vterentur, intra moenia contenti solis fascium insigniis. l. 5, p. 292. Paullo aliter LIV. II, 1.  
*Omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere; id modo cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur.*

### §. III.

**L**EGERAT Romulus ex patriciis centum senatores, Senato-  
res.  
vt essent quibuscum administraret rempublicam. Eodem modo a consulibus administrandam esse rempublicam censebat Brutus, ideoque sic instituebat: Consules opotere omnia ex senatus consulto decernere, vt reges factarant, et senatus placita referre ad populum, sicut maiores solebant. DION. HAL. l. 4, p. 269. Scopum huius constitutionis fuisse, vt senatores essent moderatores potestatis consularis, indicat Valerius l. 7. p. 461. *Addidisti* inquit, *consulibus custodes trecentos viros, aetate et virtute*.

*inter patricios eminentes, ex quibus senatus iam constat.*  
Auctus enim erat aliquoties ante et post reges electos senatorum numerus. Lex inde ab urbe condita omnia in senatus potestate ponebat, praeter iura populo referuata.

## §. IV.

*Iura plebis.* **PLEBI** tria commiserat Romulus, magistratus creare, leges facere, de bello, si rex permisisset, decernere. Non tamen absolutam in his populo potestatem esse voluit, nisi et senatus in iisdem accessisset auctoritas. **DION. HAL. L 2, p. 87.** Haec iura plebi seruare volet Brutus, decernendo ne nullum populo ius adimeretur, quod superioribus temporibus obtinuerit. **L 4, p. 269.** Et M. Valerius, Poplicola frater, censebat, senatum a populo obseruandum, ne ab officiis limitibus discedat. **L 7, p. 461.** Patet ex dictis, formam reipublicae Romanae initio fuisse mixtam ex Condominatu, Aristocratis et Democratia.

## §. V.

*Initia Democraciae.* **POSTquam** haec ira constituta erant, oriebantur suspicione, et dissidia inter patricios et plebem, status publici mutationem post se trahentia. Bruto interremto, collega eius P. Valerius in suspicionem regni affectari veniebat, quia nec collegam subrogauerat in locum Brutii, et aedificabat in summa Velia. Eam ut ex animis euelleret, vocato ad concilium populo, summissis fascibus in concessionem ascendebat; et aedes in planum deferebat. Praeterea duas ferebat leges admodum populares, Poplicola inde dictus, vnam, ne quis Romae magistratum gereret iniussu populi; alteram, vt si quis magistratus ciuem capite plectere, aut flagris caedere, aut pecuniis mulctare velleret, liceret priuato prouocare ad populi iudicium,

cium, nec interim magistratui liceret in eum animaduertere. DION. HAL. I, 5, p. 292 et LIV. II, 7. Vtriusque legis ea vis erat, vt maior esset populi quam consulum et magistratum potestas.

## §. VI.

ACCIDEBAT porro, vt plebs, ob sumtus in bella Tribuni factos aere alieno oppressa, cum de creditis pecuniis ius plebis asperime diceretur, ministerium bellarum detrectaret, tandemque secessione in montem sacrum facta, non ante in urbem redire vellet, quam concessum esset in conditiones; vt plebi sui magistratus essent, quibus auxiliatio aduersus consules esset, neue cui patrum capere eum magistratum liceret. LIV. II, 32 sq. et DION. HAL. I, 6, p. 409. Dicti sunt Tribuni plebis, eorumque constitutio statui populari erat conuenientissima. Creationi tribunorum addebat lex, vt essent sacrosancti et inuiolabiles, eaque lex sacra dicta est, quia sanctum erat, vt, qui tribunum plebis violasset, sacer esset, vt bona eius Cereris dicata, et, qui eum occidisset, purus a caede esset.

## §. VII.

ERVUMPEBANT mox inter patres et tribunos con- Potestas trouersiae difficiles, de limitibus tribunitiae potestatis. tribuno- Marcius cognomento Coriolanus suaserat in senatu, vt rum. nouam potestatem radicitus euulsam eiicerent e ciuitate, dum adhuc imbecillis esset, et oppugnatu facilis. His vocibus vehementer concitati tribuni, qui in senatu ade- rant, diem dicebant Marcio ad caussam apud populum dicendam. Patres negabant, tribunis, qui tantum in auxilium pauperum, ne vi opprimerentur, experiti es- sent, hanc datam esse potestatem. Tribuni regerebant, cum ex lege Valeria liceat homini plebeio, a patriciis oppres-

oppresso, prouocare ad populum, idem ius esse tribunis. Scribebatur tandem ex M. Valerii sententia senatusconsultum, vt Marcius apud populum caussam diceret. Fusse haec narrat. DIONYS. I. 7. Oriebatur nona discordia A. V. 282, cum P. Volero, Tr. pl. rogationem ferret de tribunitiis comitiis, vt pro curiatis tributa fierent, seu vt, 24 vi scribit, vt plebeii magistratus tributis comitiis fierent. Summa vi resistebant patres, quia haud parua res ferebatur, sed quae patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi quos vellent tribunos, auferret. Res magnis contentionibus in annum extrahebatur, sed sequenti anno, cum praevio SCto rogatio permissa esset, lex perferebatur. DION. I. 9, p. 598 sqq. et LIV. II, 56sq. In comitiis tributis plebs plebisita iubebat, et quod plebs tributum sciuissebat, populum tenebat. I. 2, § 8. de O. I. Delirium libertatis appellat. MONTESQ. *Esprit des loix* I. XI, c. 16, patriciis suffragia non permittere, et tamen velle eosdem legibus teneri.

## §. VIII.

Dominus Decemuirorum.

INTER haec agebatur etiam de iure certo in rem publicam introducendo. Cum de latore legis discrepanter, vtrum ex patribus solis, an ex plebe etiam assumenti essent, mittebantur legati in Graeciam qui leges describerent. Illis reuersis, placebat creari decemuiros legum ferendarum sine prouocatione, et ne quis eo anno alius magistratus esset. Iterum mutabatur forma reipublicae, a consulibus ad decemuiros translato imperio, et imprimis etiam mutabatur modus exercendi imperium, nam altero Decemuiratus anno, Roma atroci tyrrannide subiectam magno suo moerore experiebatur. Sed minus insignis, quia non diuturna mutatio fuit, ait LIV. III, 33. qui Decemuirorum, imprimis Appii facinora, et qua

qua ratione tyrannidem euertere aggressi sint Romani,  
prolixius narrat, cui iungendus DION. HAL. l. X. et XL.

## §. IX.

SEPOSITA igitur inopinata hac status publici mutatio-  
tione, de forma reipublicae Rom. quamdiu fuit libera, Reip.  
non difficile erit ex dictis statuere. Res ipsa postular, vt  
assentiar sententiae NIC. GRVCHII in praef. ad lib. de Co-  
mit. Rom. cuius etiam argumentis utar. Respublica Rom.  
ex tribus illa quidem reip. generibus, regno, aristocra-  
tia et democracia constabat, sed multo tamen maximam  
partem obtinuit democracia. Quamquam enim, regiae  
potestatis species quaedam in consulum imperio, in se-  
natus vero potestate optimatum principatus quodammodo  
agnoscetur, populi tamen tanta erat auctoritas su-  
pra omnes magistratus et senatum, vt non immerito di-  
ci possit, omne imperium, omnem maiestatem illius rei-  
publicae penes populum fuisse. Cui rei arguento esse  
potest ad populum prouocatio, et fasces submittendi  
mos, cum magistratus in concionem ascendebant. Iam  
vero de capite ciuis omninoque libertate ac iure ciuitatis,  
nullius erat nisi populi iudicium. Leges iubere, bellum  
pacemque decernere, societatem cum aliquo contrahere  
aut dissoluere, foedera inire, in populi tantum erant po-  
testare. Magistratus et honores cum omnibus paterent,  
nemo poterat nisi per populum assequi. Quae, si maxi-  
mi sunt in omni rep. momenti, populum sane, penes  
quem haec erant omnia, longe maximam reip. Rom.  
partem obtinuisse fatendum est.

C

CAP. III.

## CAP. III.

## DE ORDINIEVS CIVIVM ROMANORVM.

## §. I.

Ordines  
ciuium  
Rom.

**C**IIVIVM Romanorum ex primaeuo instituto non nisi duo ordines erant, Senatorius et Plebeius, his enim duobus ciuium generibus attribuerat Romulus iura ad regimen ciuitatis pertinentia, vnde existunt ordines, qui in strictiore significatu sic appellantur. Duos ordines indicat formula solennis S. P. Q. R. Accedebat postea prioribus interiectus ordo equitum Romanorum, ideo peculiaris ordo factus, quod equites censu, muneribus et insigniis dignitatis ab aliis ciuibus discernerentur. *Annu-li plane medium ordinem, tertiumque plebi et patribus inse-ruere ait PLINIVS XXXIII, 1.* Trium horum ordinum frequens mentio occurrit apud scriptores Latinos, sed quando equester ordo interpositus sit, ambigitur. Sunt qui id demum factum esse statuant per legem Gracchi iudicariam, de qua deinceps, verum horum sententiae obstat evidenter plures Liuii auctoritates, ex quibus vnam feligam. A. V. 540 edixerant Coss. vt priuati darent remiges cum stipendio. Hanc impensam vt sine indignatione facerent, suadebat Laeuinus Cos. vt omnes senatores aurum, argentum, aes signatum in publicum conferrent, quo voluntaria collatio excitaret ad aemulandim, animos primum equestris ordinis, dein reliquae plebis. Respondit euentus exspectationi. *Consensum senatus equester ordo est fecitus, equestris ordinis plebs. LIV. XXVI, 56.* Diversa fit mentio ordinis equestris, et acciderunt haec centum prope annis ante legem Gracchi iudicariam. Antiquior auctoritas, ad A. V. 352 pertinens, occurret infra §. X.

## §. II.

## §. II.

ORDO senatorius erat amplissimus, tum propter personarum, ex quibus constabat, dignitatem, tum propter muneric, quod gerebat, grauitatem. Senatus Romanus auctoritatem ita describit CIC. pro Sext. c. 65. *Maiores nostri, cum regum auctoritatem non tulissent, ita magistratus annos creauerunt, ut consilium senatus reipublicae proponerent sempiternum* - - - *Senatum reipublicae custodem, praesidem, propugnatorem collocauerunt: buius ordinis auctoritate eti magistratus, et quasi ministros grauissimi consilii esse voluerunt: senatum autem ipsum proximorum ordinum splendore confirmari.* Pertinebat itaque senatus auctoritas ad omnia quae publice agerentur, ita tamen, ut latius pateret circa potestatem exsequendi, quam circa potestatem constituerendi, et in primis in negotiis cum exteris conspicua esset. Senatus primam aerarium potestatem habebat, cognoscebat de criminibus per Italiam commissis, controuersias per Italiam ortas dirimebat, prouincias ordinabat, pacem et foedera pangebat, legationes extra Italiam mittebat, legatos Romanos venientes audiebat eisque respondebat, ut reges populiique externi iudicarent, rempublicam Romanam esse Aristocratiam. De auctoritate senatus circa iura ad statum internum ciuitatis attinentia, distinctius agendum. Conf. de distributione iurium MONTESQ. *Esprit des loix* XI, c. 16. 17.

## §. III.

SENATVI eam potestatem dederat Romulus, ut, de patres quibus ad ipsum referretur, de his decerneret et calcu- sibant lum ferret. Plebi commiserat magistratus creare, leges auctores, fancire, sed accidente senatus auctoritate. DION. HAL. l. 2, p. 87. Hanc auctoritatem interponebat modo ante, modo post comitia. Post obitum Romuli, cum patres in

annuo interregno imperium sibi arrogarent, fremebat plebs, centum pro vno dominos factos, nec ultra nisi regem, et ab ipsis creatum videbantur passuri. Patres, deferendum vltro rati, quod amissuri erant, decernebant, *vt, cum populus regem iussisset, id sic ratum esset si patres auctores fierent.* LIV. I, 17. Ut omnes Tarquiniae gentis exsules essent, ex Senatus consulto Brutus ad populum ferebat. LIV. II, 2. Iuris huius, *vt auctores fierent, admodum tenaces fuere patres.* In graui illa discordia propter iudicium Marcii Coriolani, A. V. 263, cum Sicinius, tribunus pl. diem dixisset Marcius, monebat Minucius, vir senatorius, senatus cohultum praeire debere more patrio, semper honorem hunc senatui habitum, nec vñquam quicquam absque SCto decretum suffragiis populi. DION. I. 7, p. 447. A. V. 388, cum comitia consulum aduersa nobilitate haberentur, quibus L. Sextius de plebe primus consul siebat, negabant patricii se auctores futuros, tandemque in concordiam redactis ordinibus, SCrum siebat, *vt patres auctores omnibus eius anni comitiis fierent* LIV. VI, 42. Placebat postea, *vt in incertum comitoriorum euentum patres auctores fierent.* LIV. I, 17. A. V. 416. Publilius Philo, Dictator, serebat legem, *vt legum, quae comitiis centuriatis ferrent Quirites, ante initum suffragium, patres auctores fierent,* LIV. VIII, 12. Eam confirmabat lex Maenia, A. V. 467. Per has itaque leges, cum patres tenere non possent *ut reprehensores essent comitorum,* c. 1. c. pro Planc. c. 3, alteram tamen quasi partem auctoritatis suae tuebantur, *vt nihil ad populum referretur, quod ante per senatum decretum non esset.* Comitia magistratum ex SCto dilata leguntur ad Attic. IV, 15: *Lex Caecilia, de poena ambitus mitiganda, dies fuit proposita paucos: ferri coepit nunquam: posita est in senatu, populum Romanum latuit.* pro Sulla, c. 23. Potestatem sine lege iura sanciendi, qui patri-

patribus tribueret, nemo inuentus est ante I. A. BACHIVM  
in His. Iurispr. Rom. l. 2. c. 2. S. 2.

§. IV.<sup>1</sup>

**I**N SIGNE proprium ordinis senatorii erat tunica la-  
ti clavi, de cuius vsu plura erudite disputat CASAVB. ad dignita-  
tis. *Suet. August. c. 38.* a latitudine clauorum purpureorum,  
quibus variata et distincta erat, sic appellata, et in calce-  
is lunula dimidiata, numeri centenarii nota. Magis notan-  
dum, quod, cum usque ad A. V. 557 spectaculis ludo-  
rum populo mixti interfuerint senatores, primum ante  
populi confessum senatui locum dedit P. Africanus maior  
iterum consul, quod praebuit sermones, et ipsum Afri-  
canum poenituisse fertur. *l. v. XXXIV, 53.* Locus dice-  
batur Orchestra. Senatoribus quos ad excusandi se ve-  
recundiam compulerat Augustus senatum recensens, ser-  
uabat insigne vestis, et spectandi in orchestra ius SVET.  
c. 35.

## §. V.

**V**T quis senator fieret, in senatum legendus erat, Lectio  
quod primum siebat a regibus, deinde a consulibus, de-  
Senato-  
nique a censoribus. In senatoribus legendis ratio habe-  
batur generis, ordinis, census, aetatis et magistratus.  
*rum.*  
**G**eneris, vt ex iis familiis legerentur, quibus senatus pa-  
teret. **O**rдинis, vt maxime ex equestri ordine legeren-  
tur, qui inde dictus est Seminarium senatus. **C**ensus, qui  
florente republica fuit sextertium octingenta millia. **Ae-**  
**tatis**, quae fuisse creditur annus vicesimas septimus.  
**M**agistratus, vt senatores non legerentur, nisi qui magi-  
stratus antea gerissent. Numerus senatorum non idem  
sempre fuit: constans est opinio, post reges exactos fu-  
isse trecentos. **S**IGON. *de Antiqu. Iur. ciu. Rom. l. 2. c. 2.*  
**C**uius nomen a Censore, senatum legente, primo loco  
reci-

recitabatur, ille dicebatur *Princeps senatus*. Quidam Senatores *Pedarii* dicti sunt, eiusque denominationis rationes duas allegat GELL. III, 18 vnam, quod sententiam verbis non dicerent, sed in alienam sententiam pedibus irent, alteram, quod pedibus irent in curiam magistratu curuli nondum functi. Neutra ratio vera videtur GRONOVIO ad l. c. qui pedarios dictos esse statuit eos, qui tantum pedibus in sententiam irent, aut rarissime alter; siue ipsi fiduciam non haberent dicendi, siue non rogarentur, vt qui essent in postremis scripti. *Patrum conscriptorum* appellatio inde orta fertur, quod postquam Brutus, caedibus Tarquinii diminutum patrum numerum expleuerat, in senatum vocarentur qui patres, qui que conscripti essent. LIV. II, 1. Si in recitando senatu Censor nomen alicuius praeteriret, is senatu motus pertabatur,

## §. VI.

**Conus-  
cato  
Senatus.**

CN. POMPEIUS consulatum initurus, quoniam per militiae tempora rerum urbanarum expers erat, M. Varonem familiarem suum, rogabat, vt commentarium faceret ifagogicum, ex quo disceret quid facere dicereque deberet, cum senatum consulere. Ex illo commentario refert GELLIUS XIV, 7, more maiorum senatum haberi solitum per dictatorem, consulem, praetores, tribunos plebis, interregem, praefectum vrbi, extraordinario iure etiam per alios. Si omnes isti magistratus eodem tempore Romae essent, tum qui eorum prior aliis esset, ei potissimum senatus consulendi ius fuit. Vocabantur in senatum senatores, quibusque in senatu sententiam dicere licet. LIV. XXIII, 32. Hi autem erant qui magistratibus sursum erant. Nisi in loco per augures constituto, quos tempa dicebant, Senatus haberetur, iustum non erat Senatusconsultum, sicuti nec ratum fuit ante exortum, aut post

post occasum solem factum. Qui senatum habiturus erat, immolare hostiam prius, auspiciisque debebat. Qui vel more vel lege certis semper diebus habebatur senatus, dicebatur *legitimus*, eique opponebatur *indictus*. Senatori, qui cum in senatum venire deberet, non adesset, multa dicebatur.

## §. VII.

AD senatum congregatum referebat magistratus qui *Modus* senatum habebat, interdum et alii. Relatione facta his decer-  
verbis: *Referimas ad vos, patres conscripti*, sententiam neudi-  
rogabantur senatores. Incipi debebat a consulari gradu,  
ex quo semper olim primus rogari solitus, qui princeps  
in senatum electus esset, postea nouus mos institutus per  
ambitionem gratiamque, ut is primus rogaretur, quem  
rogare velleret, qui habebat senatum, dum is tamen ex  
gradu consulari esset. Rogatus quacunque de re velleret,  
et quoad velleret dicendi potestatem habebat. Erant qui  
longa oratione vibrabantur, ut eximerent dicendo diem  
*GELL. IV, 10.* Decreta senatus dicebantur Senatus consul-  
ta, et fiebant aut conquisitis sententiis aut per discessio-  
nem, ut, qui consentirent, in certam curiae partem pe-  
dibus irent. Negarunt apud *GELL. XIV, 7*, SCtum un-  
quam absque discessione factum, sed Cel. ERNESTI *Ex-  
curf. II. ad Tacit. pag. 585.* obseruat, certum auctorem es-  
se *Cic. Pbil. III, 9*, in quibusdam causis discessione non  
factam, sed omnes sententiam rogatos. In scribendo Se-  
natusconsulto moris erat, ut ea res, de qua rogatae sen-  
tentiae fuerant summatim exponeretur, v. c. apud SVE-  
TON. de Clar. Rhetor. c. 1. *Quod verba facta sunt de Philo-  
sophis et de Rhetoribus, de ea re ita censuerunt.* Scripto se-  
natus consulto ii, in quorum sententiam factum erat, no-  
mina sua adscribabant, et A. V. C. 304. a L. Valerio et  
M. Ho-

M. Horatio Coss. institutum, ut Senatus consulta in eadem Cereris ad aediles plebis deferrentur, quae ante arbitrio consulium supprimebantur vitiabanturque. *l. v. III, ss.* Postea ad aerarium delata sunt. Plura legi possunt apud scriptores Antiquitatum Romanarum.

## §. VIII.

Senatus  
auctori-  
tas.

DECRETIS senatus intercedere licebat tribunis plebis, et ne ignorarent quid rerum ageretur, primitus sic instituebant, referente **VALER. MAXIM.** *l. 2, c. 2. §. 7.* Tribunis plebis intrare curiam non licebat, ante valvas autem positis subfelliis, decreta patrum attentissima cura examinabant, vt, si qua ex iis improbassent, rata esse non sinearent. Itaque veteribus senatusconsultis *T* litera subscribi solebat, eaque nota significatur, ita tribunos quoque censuisse. Aliquando senatum vocati introierunt. *A. V. 263*, cum de annona temperanda disceptaretur, tribuni aderant in senatu, vocati a consulibus. **DION. HAL.** *l. 7. p. 437.* Et paullo post *p. 454* indignatur Appius, quod publico reipublicae malo tribuni admitterentur in senatum. Tandem consecuti sunt vt semper in senatum venire possent, adque legibus Valeriis et Horatiis effectum creditur. **BACH. Hist. Iur.** *l. 2, c. 1. §. 5.* Licebat quoque aliis intercedere, sed teste **GELLIO XIV, 7**, iis solis, qui eadem potestate, qua *ii.*, qui senatusconsultum facere vellent, maioreue essent. Si quis intercessisset, non senatusconsultum, sed *senatus auctoritas* prescribatur, quod etiam fiebat si in loco non legitimo, aut die non idoneo, aut non legitimo editio senatus coactus esset, aut si iusto numero non conuenisset. De intercessionibus, de auctoritate prescribenda, de relatione ad senatum, populum plebemue facienda, multa occurrunt in epistola *Coelii ad Cicer. l. 8. Famil. Ep. 8.*

§. VIII.

## §. VIII.

ORDINIS equestris primordia a Romulo repeten- Ordo  
da, qui trecentos armatos ad custodiam corporis, non equestris,  
in bello solum, sed etiam in pace habuit, quos Celeres  
appellauit, *LIV. I.*, *15* a graeco ονειρος quod equitem nota-  
re Salmasius erudite docuit, referente *RUPERT. ad Pom-  
pon. Enchir. l. 2, c. I.* Equites dignitate et honore prae-  
stabilis, atque ordini senatorio quasi succenturiati semper  
sunt habiti. Brutus, regum expulsor, caedibus Tarqui-  
nii diminutum patrum numerum, primoribus equestris  
gradus, lectis explebat. *LIV. II.*, *1.* M. Papirius et C.  
Nautius Coss. A. V. 344, in legationes frumenti mercan-  
di causa dimittendas, non plus singulis senatoribus in-  
uenientes, binos equites adiiciebant. *LIV. IV.*, *52*. Praefi-  
niebatur plane annua festiuitas in honorem equitum. In-  
ter instituta ordinum collocat *VAL. MAX. l. 2, c. 2, n. 9,*  
quod equites Rom. Idibus Quintilibus trabeati transuehe-  
bantur, id quod a Q. Fabio Censore, A. V. 449 institu-  
tum dicit *LIV. IX.*, *46*. Transuetio haec erat pompa so-  
lennis, quae ab equitibus trabea induitis et equis insiden-  
tibus quotannis ducebatur ab aede Honoris in Capitolium.  
Liceat solita hac descriptione hic defungi. Pompa  
haec, quae loc. cit. dicitur altera earum, qua equestris  
ordinis iuuentus omnibus annis urbem spectaculo sui ce-  
lebrabat, non parum ei splendoris attulit.

## §. X.

DISTINGVI solent duo equitum genera, vnum cui Genera es-  
pedites in acie opponerentur, alterum cui senatores et quiritum,  
plebs. Vnde autem distinguerentur, in magna verustatis  
obscuritate quaerendum dicit *SIGON. de A. I. C. R. l. 2,*  
*c. 3.* Cauendum arbitror, ne genera illa nimis disiunga-  
mus, quasi soli illi equites, qui equo publico erant, se-  
nato-

D

nato-

natoribus et plebi opponerentur, ideoque veterum autoritates curatiis perpendenda erunt. Equites legabantur ex censu, et electioni in ordinem equestrem suffragabantur diuitiae. Notum est illud HORATII l. i, epist. I, v. 57.

Si quadringentis sex, septem millia desunt,  
Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque,  
Plebs eris.

SENEC. Controv. 9. Senatorium gradum census ascendit: census equitem Romanum a plebe discernit: census in caseris ordinem promouet. Et LIV. V, 7 ea, quae post Romanorum munimenta apud Veios incensa acciderunt, narrans, Repente, inquit, quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, consilio prius inter se habito, senatum adiunt, factaque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt. Horum alacritatem cum plebs imitata esset, tum vero laudare equites, laudare plebem, ei placuit senatu, omnibus his, voluntariam extra ordinem profissis militiam, aera procedere et equis certus numerus aeris est assignatus. Tum primum equis merere equites coepérunt.

Multa hinc discimus. Censum equestrem habentes erant equites, etsi equi publici ipsis non erant assignati: opponebantur plebi: consilio inter se habito senatum adibant: voluntariam extra ordinem profitebantur militiam. Suadent haec, ut etiam equites equo priuato senatoribus et plebi tanquam ordo medius oppositos fuissent statuamus, quamquam aliqua differentia inter equites, qui ceteroquin eiusdem ordinis erant, intercedebat. Quidam enim equites erant equo publico, quorum meminit CIC. Philipp. VI, 5, unde dicti quod a Censore equo publico, τὸν δημόσιον ἄντες appellat DION. I, 6, p. 351 donati erant, et his militia erat necessaria. Immunitas ab his seruitiis erat priuilegium. Cum opera P. Ebutii indica-

dicata Bacchanalia essent, fiebat SCtum, ut consul cum tribunis pl. ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, vt P. Ebutio emerita stipendia essent, ne inuitus militaret, neue censor ei equum publicum assignaret. LIV. XXXIX, 19.

## §. XI.

INSIGNIA equitum erant angustus clavis, quo a Insignia  
senatoribus, et annulus aureus, quo a plebe discerne- equitum.  
bantur: postea tamen usus annulorum aureorum ad ple-  
beios porrectus est. cf. tit. D. de iur. aur. annul. Post-  
quam honori senatorum datum erat, ut locum separa-  
tum in spectaculis haberent, L. Roscius Otho, tribunus  
pl. A. V. 686. legem ferebat, ne quis in quatuordecim  
gradibus orchestrae proximis federeret, nisi qui eques et  
equestris censu esset. Renovationem antiquioris legis fu-  
isse, indicat c. c. pro Muren. c. 19. L. Otbo, vir fortis,  
meus necessarius, equestris ordini restituit non solum dignita-  
tem, sed etiam voluptatem. Et VELLEI PAT. II, 32. O-  
tbo Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit. Ius  
sedendi in quatuordecim amittebatur consumto patrimo-  
nio, hinc SVETON. in Aug. c. 40. Cum plerique equi-  
tum, attrito bellis ciuilibus patrimonio, spectare ludos et qua-  
tuordecim non auderent, metu poenae theatalis, pronuncia-  
uit non teneri ea, quibus ipsis, parentibusue equestris census  
unquam fuisse. Quaenam fuerit poena illa theatalis, di-  
scimus e. c. c. Philipp. II, c. 18. Sed iisti in quatuordecim or-  
dinibus, cum esset lege Roscia decotribus certus locus con-  
stitutus, quamvis quis fortunae vitio, non suo decoxisset.  
Accensetur equitum insignis etiam equus publicus, et  
sane erat decus et praerogativa eorum quibus assigna-  
tus erat, ademtio eius poena et ignominia. De Cannen-  
sis exercitus reliquis in Sicilia scribit LIV. XXVII, 13. Il-  
lis omnibus, (et multi erant) ademti equi, qui Cannensem  
legio-

legionum equites in Sicilia erant: addiderunt acerbitati etiam tempus, ne praeterita stipendia procederent iis qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis priuatis facerent. Grauius puniebantur equites equo publico, quia obligacioni arctiori defuisse videbantur.

## §. XII.

Recogni-  
tio equi-  
tum.

CENTVRIAЕ equitum quinto quoque anno recentebantur, transeundo coram censore in foro pro tribunali sedente. Equites a praecone citati procedebant. A. V. 546. ambo forte censores equum publicum habebant. Cum ad tribum Polliam ventum esset, in qua M. Liuii nomen erat, et praeaco cunctaretur citare ipsum censorrem, Cita, inquietab alter censor, M. Liuium. LIV. XXIX, 38. Equus manu traducendus erat, vt inquireretur, num eques illum recte curasset. Si quis eques Romanus equum habere gracilem aut parum nitidum visus erat, impolitiae notabatur. GELL. IV, 12. Interdum equum vendere iubebantur, et aerarii siebant, sicque a militaribus stipendiis repellebantur. Cum eques quidam, ipse uberrimus et habitissimus, sed equum strigosum habens, a censoribus interrogatus; cur ita est, vt tu sis quam equus curatior? respondisset: quoniam ego me curo, equum Statius nibili seruus, visum est parum reuerens esse responsum, relatusque inter aerarios, vt mos erat. GELL. IV, 20. Singulari rem moderationem Africani minoris memorandam duxit VAL. MAX. I. 4, c. 1. no. 10. Centurias recognoscens equitum, postquam C. Liciniuum sacerdotem citatum processione animaduerdit, dixit, se scire illum verbis conceptis peierasse: proinde si quis eum accusare vellet, usurum testimonio suo. Sed nullo ad id negotium accidente, Traduc equum, inquit, sacerdos, ac lucrifac censoriam notam, ne ego in tuam personam

sonam

*sonam et accusatoris, et testis, et iudicis partes egisse vi-  
dear.*

### §. XIII.

RECEPTAE erant apud Romanos locationes publi- Equites  
cae, et per censum equestrem instructi erant equites ea publicani,  
vi pecuniae, qua ad conductiones sumtuosas et late pa-  
tentia tentandas opus erat. Hinc factum esse arbitror,  
vt equites Romani conducerent vestigalia publica populi  
Romani, et vt publicanorum ordo equitum ordine con-  
staret. *Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis,*  
*firmamentum reipublicae, publicanorum ordine continetur.*  
inquit CICERO pro PLANC. c. 9. Locabant vestigalia Censo-  
res in lustrum l. 3. §. 6. D. de iure fisci, idque in foro, et  
in conspectu populi Romani. Ius conducendi, cum ali-  
quando edicto restringerent censure, publicani patro-  
num caussae nanciscebantur tribunum pl. rogationem fe-  
rentem, vt omnibus redimendi et conducendi promiscue  
ius esset. LIV. XLIII, 16. Vestigium exercendorum  
caussa publicani inibant societas, et societatis Romae  
praeerat Magister, curam gerens tabularum et rationum,  
quae vndeque ab iis, qui publicanorum societati operas  
dabant, Romam mittebantur, isque porro quendam ha-  
bebat pro magistro in provincia, quasi munera sui vicari-  
um. Laudat CICERO ad Famil. XIII, Epist. 9. P. Rupi-  
lium, Magistrum in societate Bithynica, et Cn. Pupium,  
in operis eius societatis. Eiusdem libri Ep. 65 commen-  
dat P. Terent. Hisponem, operas in scriptura pro magi-  
stro dantem. Publicani ipsi vel mancipes erant, qui ve-  
stigalia conducebant, vel praedes, qui populo cauebant,  
vel facii, qui in partem lucri et damni a mancipibus et  
praedibus vocabantur. Rapacitatem publicanorum o-  
mnes accusant. M. T. CICERO, qui vniuerso eorum  
ordi-

D 3

ordini multum semper liberalissime tribuerat, scribit tamen ad Quintum fratrem l. I, Epist. I. c. u. Publicanis, si omnibus in rebus obsequimur, funditus eos perire patiemur, quorum non modo saluti, sed etiam commodis consulere debemus. Praeter vestigalia conducebant etiam ultro tributa, hoc est summus operum publicorum, veluti quae ad exercitum opus essent.

## §. XIV.

**E**quites  
iudices.

SECUNDVM instituta Romanorum ad causas iudicandas legebantur iudices, et quidem usque ad A. V. 630 ex ordine senatorio. Infamabantur senatores, quod largitionibus se corrumpi sinerent, hinc iudicia ab ipsis transferebantur ad equites. Inter furores C. Gracchi, tribunatum ingressi, refert VELLEI PATERC. l. 2, c. 6 iudicia a senatu transferebat ad equites. CORN. TACIT. Annal. XII, 60 narrat, aliquoties seditione aut armis certatum, cum Sempronii rogationibus equester ordo in possessionem iudiciorum locaretur, aut rursum Seruiliae leges senatui iudicia redderent. Postquam enim per XVII annos iudicia penes equestrem ordinem fuerant, Q. Seruil. Caepio A. V. 647 ferebat legem Seruiliam iudicariam, qua sanciebat, ut iudicia a senatu ad equites translatu, utriusque ordini communia essent. Sed lex illa aut non perlata aut non obseruata est, idem enim tulerunt M. Liuius Drusus, A. V. 662, et M. Plautius Siluanus A. V. 664, incertum quo euentu. Legis C. Seruili Glauiae, qua equestrem ordinem beneficio deuinixerat, meminit c. 62. sed eius sanctio non satis perspecta. L. Sulla, A. V. 671 restituebat senatoribus iudicia, postquam equester ordo, annos prope quinquaginta continuos, sine omni suspicione acceptae pecuniae iudicauerat, ut affirmat c. 13. At l. in Verrem c. 13. Tandem

dem L. Aurel. Cotta , ordinibus omnibus satisfacturus , A. V. 682 legem ferebat ut senatores cum equitibus et tribunis aerariis iudicarent . Translationem iudiciorum ad ordinem equestrem vehementer improbat MONTESQ. *Esprit des loix XI, 18*, ob mala grauissima in rem publicam inde redundantia . Amissa potestate iudicaria , senatus populo non amplius resistere poterat . Equites de sinebant esse ordo ille medius , qui populum cum senatu vniebat , et totiis foedi erant , vt ipsos continuo sub oculis iudicium versari oportuisset . P. Rutilius , vir summae innocentiae , quoniam legatus C. Mucii proconsulis , a publicanorum iniuriis Asia defenserat , iniulus equestri ordini , penes quem iudicia erant , repertundarum damnatus , in exilium missus est . *LIV. Epit. l. 70.*

### §. XV.

TERTIVS ordo , qui de plebe dictus est , constabat Ordo plebis qui neque senatores neque equites Romani essent . heius . Plebs autem dictus est , monente SIGON. de Ant. iure Ciu. Rom. l. 2, c. 5, non quomodo plebem patricis oppo- suit Romulus , vt gentem genti , sed quomodo senatoribus et equitibus aduersatur , vt ordo ordini . Et quoni- am non omnes patricii senatores fuerunt , ciuium tamen Romanorum omnium multitudinem trium horum ordinum descriptio est complexa , necesse esse colligit ut dicamus , plebeium ordinem non ex plebeis solum , sed etiam patricis aliquot constituisse , nempe eis quos pau- pertatis causa neque in senatum censores legerant , ne- que equo publico donauerant . Forte etiam , quia Ro- mulus patricios et plebeios per vitae genera discreuerat , et plebeis agriculturam ac rem pecuariam commiserat , factum est , vt patricii rura colentes , ob plebeium vitae genus quod sequebantur , ordini plebeio accenserentur .

### §. XVI.

## §. XVI.

Plebs rustica et urbana. Rustica dicebatur quae ruri degebat agriculturae causa; celebat autem vel suum agrum vel alienum, siue publicus is esset siue priuatus. Rusticatio tanto in honore erat apud Romanos, ut non solum ciues noui, honoris causa in tribus rusticis distribuerentur, sed veteres etiam ex urbanis in rusticis transirent, quia erant honoratores. Urbanae autem tribus maxime post A. V. CCCCXLIX ignominiae esse coeperunt, quo Q. Fabius Censor, simul concordiae causa, simul ne humillimorum in manu essent comitia, omnem forensem turbam excretam, in quatuor tribus coniecit, urbanasque eas appellauit, teste LIV. IX. 46. Accedebat, quod urbanae tribus essent libertinorum, ideoque ingenui in rusticis commigrarent. Plebs urbana erat, quae intra urbem habitabat, et constabat vario hominum genere, de quibus prolixe agit SIGON, de A. I. C. R. l. 2, c. 6 *sqq.*

## §. XVII.

**PLENA** est historia Romana bellorum intestinorum, plebem inter et patricios agitatorum, quod vel hi iniquiores in plebem esse crederentur, vel plebs de patriciorum opibus aliquid detraictum cuperet, tribunis iram plebis in patres subinde incitantibus. Longum foret re-censere contentiones quae fuerunt de aere alieno plebis levando, de nexu corporum abolendo, de foenebri malo fistendo, de agris diuidundis, de honoribus cum plebe communicandis, de iuribus aequandis, de patriciis in iudicium plebis vocandis, quibus litibus non destiterunt usque adeo fatigare patres, ut tandem assuecerent plebi in omnibus concedere. De certaminibus nobilioribus et facilitate patrum, ita ad populum verba facit

cit T. Quintius Cos. apud LIV. III, 67. Tribunos plebis con-  
cupistis, concordiae causa concessimus: decemviro desideratis,  
creari passi sumus: decemviro vos pertaefsum est, coegi-  
mus abire magistratu: manente in eodem priuatos ira-  
mori atque exfusare nobilissimos viros honoratissimosque passi  
sumus: tribunos plebis creare iterum voluisti, creasti: con-  
sules facere vestiarum partium, et si patribus videbamus ini-  
quum, patritium quoque magistratum plebi donum fieri vi-  
dimus: auxilium tribunitium prouocatione ad populum, sci-  
ta plebis iniuncta patribus: sub titulo aquandarum legum  
nostra iura oppresa tulimus et ferimus. Ne tamen existi-  
metur, a patriciis nihil peccatum fuisse, addam quae de  
mutuis animorum concitationibus notat LIV. c. 65, l. c.  
Alter semper ordo grauis alterius modestiae erat. Qui-  
escenti plebi ab iunioribus patrum iniuriae fieri coepit.  
Seniores patrum, vt nimis feroce suos credebant iue-  
nes esse, ita malebant, si modus excedendus esset, suis  
quam aduersarii supereresse animos. Monet generatim  
de indole animorum: cauendo ne metuant homines, metu-  
endos vltro se efficiunt, et iniuriam a nobis repulsam, tan-  
quam aut facere aut pati necesse sit, iniungimus aliis.

### §. XVIII.

IN his dissidiis ordines diuersi quasi oppositas utili- Optima-  
tates sectabantur, et siebat vt quidam hanc partem ciuites et po-  
um tuerentur, alii aliam; ex quo euenit, vt alii popula- pulares.  
res, alii studiosi optimi cuiusque viderentur, pauci uni-  
uersorum, vt loquitur c. 1. de Offic. I, 25. De diuisione  
ciuium in optimates et populares, plenius agit pro Sex-  
tio c. 45 sgg. Duo, inquit, genera semper in hac ciuitate  
fuerunt eorum, qui versari in republica, atque in ea se ex-  
cellentius gerere iuduerunt: quibus ex generibus alteri se po-  
pulares, alteri optimates et baberit et esse voluerunt. Qui eo  
E                          quae

quae faciebant quaeque dicebant, multitudini iucunda esse solebant, populares: qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur. Haec ipsa diuilio tandem efficit, ut necesse esset reipublicae per unum consuli. l. 2. §. ii. de O. I.

## CAP. IV.

## DE IVRE CIVITATIS ET QVIRITIVM.

## §. I.

Ius ciuitatis R.

**A**CCES SVRO mihi nunc ad explicandum per partes ius publicum populi Romani, id faciendum videtur, ut ab ipso iure ciuitatis initium ducam, potissima enim pars iuris publici Romanorum resultat ex iure quo ciues fruebantur. Ciuitas non potest ordinari absque determinatione iurium, quibus personae ciuium atque res eorum frui debent, et iura quae in ciuitate aliqua sancta sunt, ut ciues respectu personarum et rerum illis fruantur, absoluunt ius istius ciuitatis. *Ius ciuale*, inquit Imperator, §. 2 de I. N. G. et C. ex unaquaque ciuitate appellatur, et ius quo populus Romanus vtitur, *ius ciuale Romanorum appellamus*, vel *ius Quiritum*, quo *Quirites* vtuntur. Hic in censum veniunt ea iura, quae ciuibus Romanis ita erant propria ut aliis non competenter, ideoque, si illorum compotes fieri vellent, ciuitatem Romanam impetrare necesse haberent. Diuiduntur illa in duo genera, unum quod priuatam rationem attigit, alterum quod publicam. Priuata ciuium Romanorum iura comprehendebantur appellatione iuris Quiritum. Ita SIGON. de A. I. C. R. l. 1, c. 13 in fin. quem alii sequuntur. Num recte? curatius videndum,

## §. II.

## §. II.

DISTINGVENDVM esse ius ciuitatis a iure Quiriti-  
um, probari imprimis solet ex PLINIO lib. 10, Ep. 4, qua, ritium.  
iatraliptae suo relatus gratiam, ita scribit Traiano:  
Quare rogo, des ei ciuitatem Romanam, est enim peregrinae  
conditionis manumissus a peregrina. Vocatur ipse Har-  
pocras. Idem rogo, des ius Quiritium libertis Antoniae  
Maximillae. Et postea l. 10, Ep. 22. Ago gratias, Domi-  
ne, quod et ius Quiritium liberti necessariae mibi foeminae,  
et ciuitatem Romanam Harpocrazi, iatraliptae meo, sine  
mora indulisti. Distinguuntur sane ius Quiritium et ciui-  
tatis Romanae, sed non indicatur illo priuata iura tribui,  
hoc, quae sunt iuris publici. Attendendum potius erat,  
Harpocrazi peti ciuitatem, quia erat peregrinae conditio-  
nis, libertis Maximillae peti ius Quiritium, quia liber-  
tae erant foeminae Plinio necessariae, atque de re tota sic  
statuendum. Noui ciues vel per Larium in ciuitatem,  
vel beneficio principis veniebant, vt docet PLIN. in pa-  
neg. c. 37, et Latium iam continebat aliquid ciuitatis Ro-  
manae. Libertae Maximillae erant Latini Iuniani, et  
tanquam tales ad ciuitatem Romanam proprius iam acce-  
debant, et ad nonnulla iuris priuati admissae erant, viue-  
bant enim vt liberi, qui erant Latini Iuniani. Harpocras  
contra erat peregrinae conditionis, ideoque ad ciuitatem  
nunc primum accessuero, ius ciuitatis impetrandum erat.  
Stylum curiae, vt nunc loquimur, sequebatur Plinius,  
petendo Latinis Iunianis ius Quiritium, et peregrino ius  
ciuitatis. vid. Illustr. GEBÄVER Excurs. II. ad Inſtit. pag.  
217sqq. et aliorum sententias simul ample discussiōnēs, index  
harum rerum peritissimus, F.C. CONRADI de iure Quiri-  
tium a ciuitate Romana non diuerso.

## E 2

## §. III.

## §. III.

Civis iure A PRINCIPIO urbis non alii ciues Romani erant, optimo. quam qui in vrbe agroue Romano habitabant, et qui tum ciuitate donabantur, in urbem migrasse leguntur. Nanciscebantur ciues Romani iura singularia, quibus conditio illorum commodior efficiebatur quam aliorum. Comprehenduntur ea sub appellatione iuris ciuitatis, eiusque species erant ius libertatis, gentilitatis, sacrorum, honorum, suffragiorum, legitimii dominii, pluresque aliae. Censum vero, militiam, tributa et vectigalia, quae iuribus ciuium annumerantur, notioni iuris publici vniuersalis conuenienter spectanda puto tanquam onera publica ciuium Romanorum. Docuerat Romulus foedare Sabino, etiam hostibus recipiendis augeri ciuitatem oportere, eiusque exemplo nunquam intermissa est largitio et communicatio ciuitatis. Sed illa tam multa et tam varia ciuitatis Romanae iura, non omnibus conce-debantur qui in ciuitatem recipiebantur, sed alii aliis benignius habebantur, et hinc ciues Romani erant variae conditionis. Qui iura omnia obtinuerant, optima: qui aliquot, ii non optima lege ciues erant. Is demum optima lege ciuis Rom. videtur, qui domicilium, qui tribum, qui honorum potestatem fit adeptus. *SIGON. de A. I. C. R. cap. i.* Ex iuribus illis, quibus ciuitas Romana constabat, illa paullo explicatius proponam, quae statum ciuium in relatione ad ciuitatem proprius attingebant, ideoque ius legitimi dominii, quod ciuis Romanus testamento, mancipatione, in iure cessione, usufruptione conseqüebatur, et quedam alia praetermittam. De ciuitate autem diuersimode communicata, et enata inde varia conditione ciuium non silendum arbitror.

## §. IV.

## §. IV.

**L**IBERTAS ciuium Romanorum non tantum ea erat quae dicitur iuris gentium, ut liberi essent a potestate dominorum, et nemo qui seruus esset, ciuius Romanus esse posset, sed longe excellentiore gaudebant libertate iuris Quiritium. Parauerunt sibi eam aduersus dominationem regiam, eiicendo reges, et adstringendo se iuramento, neminem Romae passuros regnare, *Liu. II. t.* Parauerunt sibi porro libertatem aduerius nimium magistratum, et praesertim consulum imperium, quod pluribus legibus intra cancellos coercitum. De prouocatione, quae erat vnicum praesidium libertatis, *Liv. III. ss.*, a M. Valerio Coss. A. V. 452 tertio lex post reges exactos lata est, semper a familia eadem, eiusque saepius renouandae causa fuit, quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterant. *Liv. X. 9.* Secuta est lex Porcia, quae sola pro tergo ciuium lata videtur, quod graui poena, si quis verberasset necasset ciuem Romanum sanxit *Liv. I. c. 1.* Tribuitur ea Porcio Laecae, Trib. pl. A. V. 640. Aliud velut initium libertatis factum est plebi Romanae contra creditorum saevitiam, A. V. 429, quod neeti desierunt, iussique Coss. ferre ad populum: *pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset.* *Liv. VIII. 28.* Denique ad genera libertatis ciuium refertur suffragiorum latio per tabellas, qua de re dicam infra de Comitüs. *De iure libertatis prolixe agit SIGON. I. I. c. 6.*

## §. V.

**I**US GENTILITATIS quando inter ea refertur Ius gentilis, quae sunt iuris publici, non adeo facilem habet explicacionem. Primis reipublicae temporibus patricii prae se ferebant, se solos habere gentem. Exprobrat hoc patribus P. Decius, apud *Liv. X. 8.* Semper ista auditæ sunt

eadem, penes vos *auspiciæ* esse, vos solos gentem habere. Atque sic dicendum foret, ius gentilitatis non fuisse ciuiis omnibus commune, sed patricis proprium. Postea tamen non solum aequæ gentes plebeiae fuerunt quam patriciae, verum etiam gens eadem patricia fuit et plebeia. *Sveton. in Tiber. c. 1.* *Patricia gens Claudia, fuit enim et aia plebeia, nec potentia minor, nec dignitate.* Ab instituto Romuli, ciues Romanos in duas gentes, quas patres et plebem nominavit, diuidentis, tanquam a fonte deriuat ius gentilitatis *SIGON. de A. I. C. R. l. 1. c. 7.* id eoque in eo explicando sic versatur, ut iura quae inter gentes diuersa intercedebant, recenseat, quorsum pertinet, quod plebis iura simul cum ciuitatis adeptione impletabantur, patricius autem fieri, nisi lege nominatim ad populum lata, nemo poterat: quod patricii patroni plebis, plebeii autem clientes erant: quod patricii foli *auspicio* habebant, plebeii illis carebant: quod ius capendi honores solis patricii datum, plebeiis ademtum erat. Alium significatum ius gentilitatis habet apud Cicerorem et *ICROS.* *Cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudi patricii eiusdem nominis haereditatem gente ad se rediisse dicerent, nonne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis ac gentilitatis iure dicendum?* inquit *cic. de Orat. I. 39.* Spectat itaque ius gentilitatis tanquam ius succedendi in bona, et iure antiquo ius gentilitatis fons erat legitima furiosorum tutelae, et successionis deficentibus agnatis. *PLIN. in Paneg. c. 37.* Vicepsimam haeredibus domesticis merito remissam esse dicit, quod non sine dolore laturi homines essent, *desiringi* aliquid et *abradi bonis*, quae sanguine et gentilitate meruissent. Hunc ego significatum praeferrendum arbitror explicationi Sigonii, et deliberatio factum esse puto, quod *BACHIVS in Hist. Iurispr. l. 2. c. 1. §. 40* ius gentilitatis ad iura priuata ciuium Rom. refert. Patebit hoc, si euoluantur errata.

§. VI.

## §. VI.

**IUS CONNUBiorum** erat proprium ciuium Roma*ius con-*  
**norum**, quia connubium non erat nisi inter ciuem et ci*nubio-*  
*uem*, idemque, ut iustae essent nuptiae, etiam secundum *rūn.*  
 aliarum legum praexcepta coire debebant. Ratio habenda  
 erat nationis, conditionis, gentis et sanguinis. Natio-  
 nis, ne ciuis Romanus nisi ciuem Romanam vxorem du-  
 ceret. *pr. I. de Nupt.* Hinc cum supra quatuor millia ho-  
 minum, ex militibus Romanis, et ex Hispanis mulieri-  
 bus, cum quibus connubium non esset nati, Romanam mi-  
 ssissent oratum, vt sibi oppidum, in quo habitarent, da-  
 retur, *novi generis hominum ex Hispania* legationem ve-  
 nisse dicit *LIV. XLIII*, 3. Dari tamen connubium finiti-  
 mis externisque solitum, affirmat *Canuleius Trib. pl. a-*  
 pud *LIV. IV*, 3. Connubium vetustum multas familias  
 claras ac potentes Campanorum Romanis miscuerat: no-  
 minatim *Pacuv. Calatinus*, nobilis *Campanus*, liberos  
 ex *Appii Claudii* filia habebat, filiamque Romam nuptum  
*Liuius* dederat *LIV. XXIII*, 2 et 4. Qui ciues Romani e-  
 rant, porro differebant conditione et gente. Condicio-  
 ne erant vel ingenui vel libertini. Non licebat olim in-  
 genuo ducere libertinam. *Hispalae Feceniae libertinae*, ob  
*Bacchanalia* indicata praeium decernebatur *SCto: vti ei*  
*ingenuo nubere licet;* *neu quid ei qui eam duxisset, ob id*  
*fraudi ignominiae esse.* *LIV. XXXIX*, 19. Aliud con-  
 stituebatur per legem *Papiam Poppaeam*, quae senatori-  
 bus tantum eorumque filiis uxores libertinas interdicebat.  
 Gente erant vel patricii vel plebeii. Tulerant *Decemviri*:  
 patribus cum plebe connubii ius ne esset, vt in perpe-  
 tum patres a plebe dissociarent. Patres criminabantur  
 connubia promiscua perturbationem afferre, vt qui natus  
 sit, dimidius patrum sit, dimidius plebis, ne secum quidem  
 ipse concors: plebs insignem contumeliam esse dicebat,

par-

partem ciuitatis velut contaminatam, indignam connubio haberet, nec finis contentionum erat, donec patres, ut de connubio ferretur, concederent. LIV. IV, 15gg. Permissa itaque erant connubia promiscua, sed indignantibus matronis. A.V. 457 Virginiam, Auli filiam, patriciam, plebeio nuptam Volumnio Confulti, matronae, quod e patribus enupsisset, sacris Pudicitiae patriciae arcebant. Illa vero, conquesta iniuriam patriciarum, a ram Pudicitiae plebeiae dedicabat. LIV. X, 23. De consanguinitate, aliisque ad nuptias pertinentibus, ut et de iure patrio agitur in iure priuato.

## §. VII.

IUS HONORVM, quod in sacerdotiis et magistratis gerendis erat positum, adeo restrictum erat ad ciues Romanos, ut a peregrinae conditionis hominibus quasi deturpari viderentur. Non parvus consulatus rubor M. Perperna, utpote qui consul antequam eius, eiusque nomen adunbratum, falsus consulatus, caliginis simile imperium. VAL. MAX. l. 3. c. 4, n. 5. Ex Romuli instituto senatus, sacerdotia, magistratus, iudicia penes solos patricios erant, et ad tuendam possessionem solitariam iuris honorum, tanquam telo acerrimo vtebantur eo arguimento: auspiciis omnia geri oportere, eorum neglectum esse propriam deorum contemtionem atque iniuriam, auspicia autem more maiorum esse penes patres. Quid aliud quam tollit ex ciuitate auspicia, qui plebeios consules creando, a patribus, qui soli ea babere possunt, aufert, dicit Appius apud LIV. VI, 41. Efficiebatur nihilominus per rogationes tribunicias, ut plebeii homines in seneatum, ad magistratus et sacerdotia admitterentur, ex quo maximum incrementum potestas plebis habuit, et contra optimatum factio maximum pristinae dignitatis accepit detri-

**detrimentum DION. HAL. l. 7, p. 469.** Habuit tamen ius honorum, plebi communicatum, quasdam exceptiones, siquidem et rex sacrorum, et flamines maiores, et Salii e patriciis semper fuerunt, atque inter regem et ipsum patricium esse, et a patricio prodi necesse fuit. c. 1. c. pro domo c. 14.

### §. VIII.

**IUS SUFFRAGIORVM** ab ipso Romulo ciubus tri-  
butum erat, commiserat enim eis magistratus creare, le-  
ges sancire, de bello, si rex permetteret, decernere.  
**DION. HAL. l. 2. p. 87.** In his caussis ius suffragiorum  
non habuit controuersiam, sed vehemens fuit contentio,  
vtrum in iudiciis populo permittendum esset suffragium?  
Tulerat P. Valerius Cos. legem de prouocatione aduer-  
sus magistratus ad populum, eaque effectum erat, vt non  
liceret suppicio aut mulcta animaduertere in prouocan-  
tem, donec populus ea de re iuisset in suffragium. Da-  
bat annona caritas occasionem grauibus motibus intesti-  
nis, et erant inter patricios qui censerent, omnibus mo-  
dis affligendam esse plebem, vt necessitate ad modestiam  
compelleretur. Dixerat imprimis Marcius, cognomento  
Coriolanus, potestatem tribunitiam radicitus euellendam,  
et e ciuitate efficiendam. Quod cum audiuisserint tribuni  
plebis, nisi patres eum capite aut ex filio mulctarent, ipsi  
se id facturos minabantur, et ex lege Valeria ei diem ad  
populum dicebant. Vehementer indignabantur aliqui ex  
patrum numero, sed Valerius suadebat, vt plebem ad  
iudicia quoque admitterent, praesertim in caussis ad rem-  
publicam attinentibus, vbi quis motae seditionis, aut  
tyrannidis affectatae, aut proditionis cum hoste tractatae,  
aut similium criminum reus ageretur, atque hanc senten-  
tiā plurimis approbabat. **DION. HAL. l. 7. p. 462.** Sic  
itaque plebe ad iudicia admissa, insignis accessio facta est

F

ad

ad ius suffragiorum. Quia suffragia nusquam nisi in comitiis ferebantur, pleniorem de illis tractationem ad Caput de comitiis reicio.

## §. IX.

Varia ci- EXEMPLUM Romuli semper frequentata erat apud  
tium Romanos largitio ciuitatis, sed non omnibus omnia con-  
conditio. cedebantur iura, quibus constabat ciuitas, et hinc varia  
esse coepit ciuium conditio. Campani, cum confecto  
bello Punico II cogerentur a censoribus Romae censeri,  
quod erat indicium restitutae ciuitatis, petebant; ut sibi  
ciues Romanas ducere uxores liceret; et si qui prius duxi-  
sent, ut habere eas; et ante eam diem nati, ut iusti sibi libe-  
ri haeresesque essent: utraque res impetrata. LIV. XXXVIII,  
36. Quod iura connubiorum et patriae potestatis specia-  
tim petere necesse habebant, argumento est, interdum  
iura quaedam ciuitatis denegata esse illis, quibus alia con-  
cessa erant. Quibusdam ciuitatem datam legimus ab-  
que suffragio. De Formianis Fundanisque municipibus,  
et Arpinatibus C. Valer. Tappus, Trib. pl. promulgabat:  
ut iis suffragii latio, nam ante sine suffragio habuerant ciui-  
tatem, esset. LIV. l.c. Anagninis ciuitas sine suffragii la-  
tione data, concilia connubiaque ademta. LIV. IX, 43.  
Libertini, etsi ciuitatis iura confecuti essent, deteriore ta-  
men iure erant quam ingenui. Coloniae, municipia,  
praefecturae, quamvis generibus ciuium Romanorum  
comprehenderentur, diuersa tamen erant conditione,  
quod paulo explicatius declaratum, magis conspicuum  
faciet variam ciuium conditionem.

## §. X.

Ius liber- SERVIS manumissis cooperat Seru. Tullius communi-  
tiorum. care ius ciuium, eosque in quatuor urbanas tribus distribu-  
erat

erat, et omnium munium, quorum et ceteros plebeios fecerat participes. DION. HAL. l. 4, p. 226. Haec quasi forma est, ad quam status libertinorum attemperatus, quandiu respublica fuit libera. *A primis urbis Romae cunabulis, inquit Imperator, §. 3 I. de libert. una atque simplex libertas competit, id est ea, quam habebat manumissor, nisi quod scilicet libertinus sit qui manumittitur, licet manumissor ingenuus sit.* Quia manumissus erat libertinus, habebat non solum patronum, cui obsequium et operas debebat, sed etiam ius ciuitatis libertinorum minus commodum erat quam ingenuorum. Tribus urbanae, in quas coniecti erant libertini, minus honoratae erant, quam rusticae, et cum App. Claudius libertinos per omnes tribus diuississet, factum Q. Fabii, eos inde excernentis, adeo gratis animis acceptum, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret. LIV. VIII, 46. Exierunt nihilo minus postea aliquoties ex tribibus urbanis, sed et in illas reuocati sunt. Cumque Seruius libertinos eorum tantum muniorum, quorum et ceteros plebeios fecisset participes, perficit ex eius instituto, ut libertini ad honores non admitterentur, qui et olim plebeii non patuerant, quamuis postea cum illis communicarentur. Quin vix libertinorum filii aditus ad honores dabatur. Cn. Flavii, patre libertino natì, humilitatem contemnabant nobiles, cum aedilis eurulis crearetur LIV. IX, 46. Denique libertinis connubium non erat cum ingenuis, si cuti olim plebeii non fuerat cum patriciis.

### §. XI.

LATIVM et Italia generatim diuerso a iure ciuitatis Ius colo-  
ire vtebantur, sed quedam harum regionum ciuitates niarum,  
peculiaria iura habebant, et peculiaribus nominibus co-  
lonia-

loniarum, municipiorum et praefecturarum insignitae sunt. Coloniae erant ciuitates ex ciuitate Romana quodammodo propagatae, deductis ab vrbe ciuibus ad eas incolendum. Praeter alias utilitates hoc commodum afferebant coloniae, quod plebs urbana hoc pacto exhatiebatur, et veterani, agris assignandis praemio affiebantur. Coloniae ciuium Romanorum, hoc est quae iure ciuitatis donatae erant, an omnia iura ciuitatis Romanae retinuerint, disputatum est. Verosimilium habetur, iura suffragii et gerendorum magistratum amisisse. HEINECC. *Ant. Rom. Append.* §. 127. Omnen coloniarum conditionem ita complectitur GELLIO. XVI, 13. Non veniunt extrinsecus in ciuitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex ciuitate quasi propagatae sunt, et iura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent. Et quia aliqui existimabant, meliore conditione esse colonias quam municipia, addit de coloniis: *Quac tamen conditio cum sit magis obnoxia et minus libera, potior tamen et praestabilior existimatur propter amplitudinem maiestatemque populi Romani, cuius istae coloniae quasi effigies paruae, simulacraque esse quedam videntur.*

## §. XII.

Ius municipiorum donata: quando enim vniuersis alicuius oppidi incolis dabatur ciuitas, qui tamen Romanum non commigrarent, municipium id dicebatur. Auctore GELLIO XVI, 13, municipes sunt ciues Romani ex municipiis, legibus suis et suo iure videntes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque villa populi Romani lege adstricti. Muneris honorarii cum populo Romano municipes suo modo erant participes, quod respublica municipio-

piorum ita erat constituta, vt speciem quandam atque imaginem reipublicae Romanae refert. Senatui Romano respondebat in municipiis ordo amplissimus decurionum; binis consulibus Romanorum Duuumiri, qui erant magistratus municipales. Habebant etiam censores, quaestores, aediles, flamines, imo et dictatores. Milo, cum Clodium in via Appia sibi obuium occideret, habebat iter Lanuuum ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuuii. *cic. pro Milon. c. 10.* Quia autem Gellius innuere videtur munera, a municipibus Romae capessenda, *Conf. i. l. CONRADI, Excurf. X ad p. 2. Gell. muneris honorarii participationem in eo constitisse dicit, quod municipes liberalitatem populi Romani ad eadem officia, quibus ceteri ciues fungebantur, capienda erant admissi, scuti etiam in l. 18 D. de V. S. traditum: municipes dici, quod munera ciuitia capiant. Et sane datio ciuitatis continebat communicationem iuris ciuitatis. Hinc *cic. de Legib. II, 2.* Ego omnibus municipibus duas esse censeo patrias: unam naturae, alteram ciuitatis, quam paucis interiectis vocat patriam iuris. Quamquam autem omnes municipes fuerunt ciues Romani, tamen non omnes eodem modo iura ciuitatis obtinuerunt, hinc alii duo, alii tria distinguunt municipum genera, quod nunc specialius non persequar.*

### §. XIII.

PRAEFFECTURAe erant oppida, in quibus qui habitabant, nec suis legibus viuebant, nec vilos de suo corpore magistratus creare poterant, sed a magistratis Roma missis regebantur iis legibus, quas Romanus magistratus dixisset. Vocabatur ille praefectus, et inde praefectorum appellatio. In praefectoriae formam redigebantur, qui ingrati fuissent erga populum Romanum, aut fidem datam fefellerint, aliae iniquitate id meruerant,

rant, ut duriore conditione ac fortuna essent; pro diuersitate tamen meritorum alii alius lenius habebantur, quid quod interdum beneficiis maestabantur. Potuit idem oppidum et praefectura esse et municipium: praefectura quidem, quatenus eo praefectus iurisdictionis causa mitteretur, nec in ea magistratus ad ius dicendum crearentur; municipium vero, quatenus iure ciuitatis, vel cum suffragio vel sine suffragio viceretur. SIGON. de A. I. Ital. l. 2. c. II.

## §. XIV.

Populi  
fundū  
factū,

PERMITTEBANT Romani, ut cum iussisset populus Romanus aliiquid, si id adsciurissent socii populi ac Latini, et si eadem lex in populo aliquo tanquam in fundo resedisset, vt tum illi populi aut iure eo quod esset constitutum, aut aliquo commodo, aut beneficio vicerentur, et statuerent de suis rebus quo iure vti vellent. Municipes nulla populi Romani lege adstricti erant, nisi in quam (sic enim legendum est) populus eorum fundus factus esset. GELL. XVI, 13. Legis Iuliae, quam concitato bello sociali ob ciuitatis iura Latinis et Italis concedenda, L. Iul. Caesar, Consul, A. V. 663, de ciuitate cum sociis et Latinis communicanda ferebat, caput erat, vt ad eos tantum beneficium legis pertineret qui fundi facti essent, qui autem fundi populi facti non essent, ciuitatem non haberent. Fundi fieri dicebantur qui legem probarent, et profiterentur se beneficio legis vti velle. Minus recte HEINECC. in Hist. Iur. l. I, §. 79, hanc locutionem interpretatum esse, notant ERNESTI in Ind. LL. leg. cit. et BACH. Hist. Iur. Rom. l. 2, c. 2, §. 69. Municipes itaque, quia cines Romani iam erant, legum, quarum vellent, fundi fiebant; socii et legum et iurium: istiusque iuris et verbi ea vis erat, vt, si quid esset eiusmodi, vt quibusdam populis permittendum videretur, tum, vitrum fundi facti

di facti essent, an non, quaerendum esse videretur, de republica vero, de imperio, de bellis, de victoria, de salute, fundos populos fieri non sinebant. *cic. pro Balbo, c. 8.* qui est locus classicus.

## §. XV.

MENTIONEM pluribus locis facit Cicero affectio- Affectio-  
num iuris ciuitatis, quod nemo duarum ciuitatum civis nos iuris  
esse poterat, quodque nemo inuitus ciuitatem aut amitte- ciuitatis.  
bat aut in ea manebat. De omnibus coniuictum ira lo-  
quitur *pro Balbo c. 13.* O iura praeclara, atque diuinitus  
iam inde a principio Romani nominis a maioribus nostris  
comparata! ne quis nostrum plus quam unius ciuitatis esse  
possit: (dissimilitudo enim ciuitatum varietatem iuris habeat  
necessitate est) ne quis inuitus ciuitate mutetur; neve in ciuitate  
maneat inuitus. Hac sunt enim fundamenta firmissima no-  
strae libertatis, sui quemque iuris et retinendi et dimittendi  
esse dominum. Municipes quidem et in municipio et in  
vrbe magistratus recte gerebant, sed id inde erat, quod,  
licet aliqua iuris priuati esset varieras, tamen non duarum,  
sed unius ciuitatis ciues esse censabantur. Municipibus  
duas fuisse patrias, naturae et iuris §. XII iam obseruatum  
est. Quomodo autem saluis his principiis fieri potuerit,  
vt ciues Romani in colonias Latinas proficerentur, aut  
ob maleficium in exilium mitterentur, docet *cic. pro  
Caecina c. 33 sq. et pro Domo c. 30.*

## CAP. V.

## CAP. V.

## DE COMITIIS POPVLI ROMANI.

## §. I.

**O**rigo co- **C**OMITIA cum sint conuentus populi, negotiorum pu-  
mitio- blicorum agendorum causa celebrati, in illis rerum-  
rum. publicarum formis locum habent, in quibus vel omne  
imperium ciuale est penes populum, vel in quibus partes  
quaedam potentiales imperii sine consensu populi exerce-  
ri nequeunt. Romulus rempublicam Romanam sic insti-  
tuerat, ut magistratum creandorum, legum sancienda-  
rum, belli pacisque populus esset arbiter, adeoque ipse  
auctor fuit comitiorum apud Romanos, populus enim,  
nisi congregatus, de rebus decernendis suffragia ferre  
non potest. Consulibus in locum regum substitutis, po-  
pulus non modo nihil amittebat pristini iuris, sed etiam  
per rogationes seditiones tribunorum suorum, potentiae  
patriciorum identidem detrahere cupientium, sensim  
consequebatur, ut omnia summa in populi vnius essent  
arbitrio, hinc sub republica libera frequentiores fuere  
causae habendorum comitiorum, et in decernendis ne-  
gotiis ad rempublicam pertinentibus, subinde venien-  
dum erat ad solenne illud: Veltis iubeatis Quirites.

## §. II.

**D**ivisio  
comitio-  
rum.

**D**IFFERRE possunt comitia pro diuersa partitione  
populi in certos ordines siue partes, indeque resultante  
diuerso modo ferendi suffragia. Diuiserat Romulus po-  
pulum in tribus et curias, institueratque ut in comitiis  
populus in curias descriptus suffragia ferret, hinc anti-  
quissima comitia apud Romanos fuere Curiata, in eisque  
peragebantur **omnia**, quae suffragiis populi permitta-  
erant.

erant. Seruius Tullius, post stabilitam nouam populi divisionem in classes et centurias, pro curiatis comitiis centuriata indicebat, eaque sic frequentari coeperunt, ut CIC. post red. in Sen. c. II. dicat: *ea maxime maiores comitia iusta dici haberique voluerunt.* Vocantur etiam Comitiatus maximus, quia in illis suffragium ferebant, non tantum qui in urbe, sed etiam qui extra urbem in Italia habitabant, ciuitate tamen cum iure suffragii donati erant. Accedebat A. V. 263. tertium genus Tributorum comitorum, Sp. Siccino, tribuno pl. acriter pugnante, ut Marcus Coriolanus, vir patricius, in iudicium populi per tribus suffragia ferentis, vocaretur, ne, quod verebatur, comitiis centuriatis, quae in ditiorum potestate erant, absoluueretur. Quod cum expugnasset, audebat P. Voleto, trib. pl. A. V. 282 legem ferre de tribunitiis comitiis, ut pro curiatis tributa fierent, eique legi porro addebat, ut tributis comitiis aedilium quoque collegium fanciretur et quicquid per plebem agi decerniue deberet, ageretur tributis comitiis. Perlata tandem lege, comitia creandorum tribunorum atque aedilium absque auspiciis ceteraque religione peracta sunt tribuum suffragio. DION HAL. I. 9, p. 598 sqq. LIV. II, 34. Comitia calata non efficiunt proprium et peculiare genus, sed ita dicebantur comitia siue curiata siue centuriata, quae pro collegio, hoc est a collegio pontificum habebantur, regis sacrorum aut flamminum inauguratorum caussa, et quibus sacrorum detestatio et testamento siebant. GELL. XV, 27. Detestatio est denunciatio facta cum testatione, l. 40. pr. D. de V. S. et detestationem sacrorum interpretantur aliqui denunciacionem haeredi aut legatario factam, sacra, quae haereditatem sequebantur, esse suscipienda: alii malunt intelligere consecrationes, quas publice in concione populi fieri oportebat. vid. GESNER. Thesaur. b. v.

G

§. III.

## §. III.

**Causae** **POPVL** potestas, vt supra iam indicatum est, po-  
comitio. sita erat in legibus iubendis, magistratibus creandis, et  
iudiciis capitinis agendis. Lex apud Romanos recte dice-  
batur communis reipublicae sponso, l. i. D. de Leg. quia  
totus populus legem sanciebat in comitiis, ad quae, vbi  
populus confluxisset, praeco primum legem recitabat,  
tum erant qui eam suaderent vel dissuaderent, dein ro-  
gabatur populus veller iuberet, et penes populum erat  
legem propositam suffragiis suis iubere vel antiquare.  
Ad comitia legum pertinebant etiam ea, quibus de bello  
et pace decernebatur. Si senatus censebat, bellum ali-  
quod suscipiendum esse, rogatio de bello ad populum  
ferenda erat, vt bellum iuberet, nam hic ordo obseruan-  
dus erat, vt prius senatus consuleretur, deinde ad popu-  
lum ferretur. *Nouo maloque exemplo rem ingressus erat M. Iuencius Talna, practor, quod ante non consulto senatu, non consulibus certioribus factis, de sua unius sententia rotationem ferret, vellent iuberentiae Rhodi bellum indici.*  
**LIV. XLV**, 21. Idem iuris fuisse circa pacem faciendam;  
docet **LIV. XXX, 43. M. Attilius et Q. Minutius, tribuni**  
**pl. ad populum tulerunt: vellent iuberentiae senatum decerne-**  
**re, vt cum Carthaginensibus pax fieret.** Magistratus omnes  
creabantur in comitiis, demto Dictatore, qui iubente  
senatu, aliquando etiam iubente populo, a consule dice-  
batur, et interrege, qui a patriciis prodehatur, quibus  
addi potest praefectus Vrbi. Iudicia de criminibus habe-  
bantur in comitiis centuriatis usque ad quaestiones per-  
petuas: iudiciorum causa habita quoque sunt comitia  
tributa, quae eorum etiam origo fuit.

## §. IV.

**Tempus** **NON** quoquis tempore comitia haberi poterant, sed  
opore

oportebat dies esse comitiales, hoc est tales ut cum populo agi liceret, illi autem toto anno non adeo multi rum fuerunt. Comitia igitur haberri non poterant diebus festis, illi enim Diis dicati erant, eisque inerant dies ludorum, sacrificiorum et feriarum: nec diebus nefastis, erant enim vel feriae vel dies atri, qui erant postridie calendas, nonas et idus cuiusque mensis, eisque nihil publice geri poterat: nec ipsis calendis, nonis aut idibus, quia erant tempus legitimum habendo senatui, per legem autem Pupiam, cuius meminit c. 1. ad Fam. I, 4, et ad Quint. frat. II, 12 senatus diebus comititalibus haberri non poterat. Potuisse tamen aliter fieri, discimus ex epistola Coelii VIII, 8, vbi scribit, SCtum esse factum ut prouinciarum consularium caussa consules per dies comitiales senatum haberent. Sic etiam legimus, nundinis comitia haberri non potuisse, et tamen tertiiis nundinis iudicium de Marcio Coriolano habitum, teste DION. HAL. I, 7, p. 463. Plures adhuc dies de numero comititalium detrahit GRVCH. de Comit. I, 6. Speciatim ad magistratum comitia quod attinet, postquam consules Cal. Ian. magistratum inire cooperunt, comitia consularia habita sunt ad finem mensis Iulii, et principium Augusti: praetoria eodem aut postero quodam die, mox aedilitia, post quaestoria: censoria ad finem mensis Iunii, idque quinto quoque anno: tribunorum aediliumque plebis comitia, praecesserunt reliqua. Legum iudiciorumque comitia certum tempus habere non poterant, sed pro necessitate publica habebantur.

## §. V.

LOCVS comitiis habendis debebat esse inaugurateus, locus co<sup>3</sup>  
scribit enim LIV. III, 20 augures iuspos ad Regillum initio-  
lacum, locumque inaugurarī, vbi auspicato cum populo agi rum.  
posset. Comitiis curiatis destinatus erat locus intra po-

G 2

moe-

moerium, foro coniunctus, imo pars fori, qui dictus est Comitium, quod comitis curiatis populus illuc conueniret. Comitia centuriata intra pomoerium haberi non poterant, quia ex antiquo instituto ciues armatos sub signis in suis centuriis conuenire oportebat, exercitum autem intra urbem imperari ius non erat. Idcirco inter urbem et Tyberim habita sunt, in agro quondam Tarquiniorum, qui Marti consecratus, Martius deinde campus fuit, LIV. II, 5, exercitusque imperari praesidii causa solitus, GELL. XV, 27, is autem, qui comitis praerat, tabernaculum extra pomoerium cepisse dicebatur, velut dux exercitus. Quia comitia centuriata auspicato habenda erant, is qui ea habiturus erat, priusquam in campum veniret, auspicari debebat intra pomoerium, quippe quod faciebat finem urbani auspicii, et nisi id fecisset, ipsa comitia virtabantur. Hinc intelligitur quod legimus apud C.I.C. de Nat. D. II, 4. Tib. Gracchum recordatum esse, *vicio sibi tabernaculum captum fuisse in horitos Scipionis*, quod, cum pomoerium poscia intrasset habendi senatus causa, in redeundo, cum idem pomoerium transiret, auspicari esset oblitus, itaque *vicio creatos consules esse*. Et de tribunis militum, A.V. 310 creatis, scribit LIV. IV, 6, tertio mense quam magistratum inierunt, augurum decreto, perinde ac *vicio creati*, honore abidere, quod C. Curiatius, qui comitiis eorum praefuerat, parum recte tabernaculum cepisset. Comitia tributa et intra pomoerium haberi poterant, et extra illud. Magistratum comitia tributa se re in campo Martio habebantur, sed et in pratis Flaminii, et in Capitolio, et in comitio habita leguntur. Legum comitia plurimum in comitio haberi solita, interduum tamen etiam in Capitolio: quod utrumque etiam de iudiciorum comitiis dicendum. Probationes vide apud GREUCH. de Comit. l. 2, c. 5.

§. VI.

## §. VI.

INVENTAE etiam sunt caussae non habendorum co-  
mitiorum, earumque tres fuerunt, seruatio de coelo, menta  
obnuntiatio et intercessio magistratum. Complectitur comitio-  
tas lex Aelia A. V. 596, vel ut alii volunt 598 <sup>tum</sup> lata, qua  
fanciebatur, ut quories comitia essent, de coelo seruare  
liceret; ut obnunciare liceret, obnunciationique cedere-  
tur; ut intercedere magistratus pares et tribuni possent.  
Ad legem Aeliam circa idem tempus accedebat lex Fufia,  
fanciens, ne omnibus diebus fastis legem ferre liceret.  
Leges has saepe coniungit CICERO, et de illis dicit post  
red. in Sen. c. 5, quod eas maiores certissima subsidia rei-  
publicae contra tribunitios furores esse voluerint: et alibi,  
Orat. in Pif. c. 4. dicuntur propugnacula murisque tranqui-  
llatis atque otii. Has leges, cum consilii suis obstat vi-  
deret P. Clodius, rempublicam seditionibus perturbatu-  
rus, eas perfringendas censebat, et ferebat legem, ne  
auspicia valerent, ne quis obnunciareret, ne quis legi in-  
tercederet: ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret:  
ut lex Aelia, lex Fufia ne valeret, qua una rogatione  
vniuersam rempublicam esse deletam, queritur CIC. Orat.  
pro Sext. c. 15.

## §. VII.

SERVATIO de coelo usurpabatur in vrbe et ab vr-  
banis magistratibus, pertinebat enim ad comitia siue im-  
pedienda siue vitianda, et consistebat in contemplatione  
coeli, num qua parte fulgur existeret aut tonitru. Au-  
gures omnes usque a Romulo decreuerant, Ioue fulgente cum  
populo agi nefas esse, CIC. in Vatin. c. 8, et illi quidem ita  
decreuerant, quia hoc signo Iouem comitia prohibere  
existimari volebant. Sed in praxi censebant, id institu-  
tum reipublicae caussa esse, ut comitorum vel in iudiciis  
populi, vel in iure legum, vel in creandis magistratibus

G 3

prin-

principes ciuitatis essent interpretes. Et cum olim de coelo seruare ipsi essent soliti qui auspicabantur, postea imperabant alii cuilibet, ille renunciabat. c. c. de Diuin. II, 35. Vitiabantur porro comitia, non solum si quis renunciaret, quae seruando de coelo vidisset vel audisset, sed etiam si quis ementiretur auspicia, imo plane si quis id sibi agendum sumeret, vt de coelo seruaret. Apparet hoc ex iis, quae de Clodio refert c. c. de Har. Resp. c. 23. Producebat fortissimum virum M. Bibulum: quaerebat ex eo, C. Caesare leges ferente, de coelo semperne seruasset? semper se ille seruasse dicebat. Augures interrogabat, quae ita lata essent, recte lata essent? illi vitio lata esse dicebant. conf. ERNESTI Clau. Cic. in lege Aelia. De tempore quo seruare de coelo et renuntiare fas fuit, scribit c. c. Philip. II, 32. De coelo seruare neque licet comitiis, per leges, et, si quis seruauit, non habitis comitiis, sed priusquam habeatur, debet nuntiare.

## §. VIII.

Obnuntiatio. OBNVNTIARE erat auspicium malum comitia habenti nunciare, vt vel impedirentur vel vitiarentur comitia. Ius obnunciandi habebant et augures et magistratus, sed cum ea differentia quam indicat c. c. Philip. II, 32. Nos (augures) nunciationem solum habemus: consules et reliqui magistratus etiam spacionem. Ex hoc loco colligit GRUCH. de Comit. I, 4, augures iussu magistratum demum auspicia consulere potuisse, plenius autem GESNER. in thes. voc. Specchio eum ita interpretatur: nos (qui augures sumus, nihil praeterea) nunciationem solum (eorum quae in augorio nobis obuenere) habemus, (ceterum de coelo seruare quoties voluerimus, et sic impedimentum obicere comitiis aut rebus gerendis, nobis non licet per leges) consules et reliqui magistratus, (maiores suo ordine, nempe erga mino-

minorem, aequalem certe) etiam spectionem, (vt liceat illis, vel augurem iubere de coelo seruare, vel, si ipsi iidem sint augures, ipsi suo arbitratu de coelo seruare, nisi speciali SCto prohibeantur, possint.) Quod ad consulum et reliquorum magistratum auspiciandi potestatem attinet, notandum, patriciorum auspicia in duas fuisse diuisa potestates, in maiora, quae magis rata fuerunt, et maiorum magistratum; et minora, quae minus rata fuerunt, et minorum magistratum. Ad impediendas actiones maiorum magistratum, non aliis de coelo seruandi ius erat, quam maioribus item magistribus, et collegis tantum inter se. Ne minores id auderent, in edito consulum, quo edicebant qui dies comitiis centuriatis futurus esset, scriebatur ex vetere forma perpetua: *Ne quis magistratus minor de coelo seruasse velit.* Pluribus haec prosequitur

GELL. XIII, 15.

### §. IX.

IMPEDIEBANTVR denique comitia per intercessiones magistratum, vetando ne haberentur, vel ne per ageretur quod propositum erat. Intercedendi ius habebant potestates pares et maiores, hinc consules praetoresque inter se, ideo quod collegas erant, et censores inter se intercedebant. Species prohibitionis erat auocatio, de qua GELL. XIII, 15 ex Messala: *Consul ab omnibus magistribus et comitiatum et concionem auocare potest: praetor et comitiatum et concionem usquequaque auocare potest, nisi a consule: minores magistratus nusquam nec comitiatum nec concionem auocare possunt.* Tribunis plebis a nemine intercedi poterat nisi ab uno ex collegis, ipsis vero licebat omnibus magistribus intercedere. Non poterant verare tribuni, quominus consul vocaret populum, sed poterant intercessionibus suis vitiare comitia centuriata magistratum et legum, ne quid suffragiis populi peragi posset.

Quan-

Quando promulgabatur lex, poterant tribuni profiteri, se intercessuros si quis eam ferre velleret, at non ante diem lationis intercedebant. ERVCH. de Comit. I. I,  
c. 4.

## §. X.

Conuocatio co-  
mitiorum.

QVIA non erant statim comitiorum dies, populus ad comitia legitime conuocandus erat. Curiata per lictorem curiatim conuocabantur, GELL. XV 27, et postquam magistratus aut pontifex rogationem suam exposuerat, populus in suas quisque curias discedebat, et quo ordine forte exierant, suffragia dicebant. Quae prima exierat, Principium dicebatur, et quod plures curiae statuissent, iussum populi erat. Ad comitia centuriata vocabatur populus per edictum, quod publice proponebatur, ut populo notum esset qua die conuenire deberet. Inter edictum et diem comitiorum trinundini tempus relinquebatur, ut ad suffragia ferenda populus accederet instructior. Nundinae erant nona quoque die, illisque ciues ex agris confluabant in urbem ut merces rusticarum venderent. Trinundinum autem non faciebat dies viginti et octo, ut male perhibet NIEVPOORT. Ant. Rom. Sect. I, c. 7, §. 6, sed tantum septendeciem dies, numerandorum enim dierum initium siebat a nundinis primis, et desinebat in tertii. vid. not. 77 ad GELL. XX, 1. edit. Gronou. Magistratum comitia per trinundinum promulgari solita, tefsis est c. 1. ad Fam. XVI, 12, ubi scribit, conditionem a Caesare latam; se praesentem trinundinum petiturum. Dabatur autem illud, ut Candidati populo frequentiori, et non modo urbane, sed etiam rusticarum multitudini supplicare possent. Leges promulgabantur trinundino, vi populo protestas fieret legem cognoscendi, et statuendi utrum die comitiorum eam iubere vel antiquare velleret. Iudicia quoque populi tam moderate constituta erant, ut non exerce-

ce-

cerentur, nisi trinum nundinum predicta die, qua die iudicium esset futurum. CIC. pro domo cap. 17. Tributis comitis communia fuerunt cum centuriatis, quae ante comitia fieri solita erant, nam et tributis praemissis editio opus erat, et promulgari trinundino leges, quas tributis comitis perferre quis vellet. GRVCH. de Comit. l. 3,

6. 4.

## §. XI.

LIBERTAS ciuilis qua populus in democracia frui- Ius suffra-  
tur, tribuit ipsi ius suo consensu determinandi, quae giorum.  
boni publici causa fieri debent, vnde ius suffragiorum.  
Est haec, inquit CIC. pro Plancio cap. 4, conditio liberorum  
populorum, praecepueque huius principis populi, et omniū  
gentium domini ac victoris, posse suffragis vel dare vel de-  
trahere quod velit cuique. Rogari autem populus suffragia  
nisi in comitiis non poterat. Et curiatis quidem comitiis  
ius suffragii tantum habebant urbis agrique Romani habi-  
tatores, qui in curias descripti erant: centuriatis autem  
omnes, quibus ciuitas erat data cum suffragio, quo nu-  
mero comprehendebantur municipia, coloniae et praefe-  
turae Italiae. De comitiis centuriatis, quibus renocatus  
erat CICERO, ita scribit pro Sextio c. 14. Nullum erat  
Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla  
Romae societas vestigialium, nullum collegium aut concilium,  
aut omnino aliquid commune consilium, quod tum non bo-  
norificissime decreuerisset de mea salute. Comitiis tributis,  
iidem qui centuriatis, ius suffragii habebant; permisso  
magistratum etiam Latini ad suffragium dicendum ad-  
mitti soliti. Docet hoc LIV. XXV, 3. Sitella allata est,  
ut fortirentur ubi Latini suffragium ferrent.

## §. XII.

Ex veteri instituto suffragia ferebantur viua voce, Leges ta-  
H con- bellariae.

constitutis rogatoribus, qui partium, in quas populus congregatus pro diuersitate comitiorum diaidebatur, sententias exquirerent et renunciarent. Videbatur hoc officere libertati suffragiorum, ideoque legibus quibusdam cauebatur, vt suffragia furentur per tabellas, quae dicuntur leges tabellariae. Prima illarum, lata a Q. Gabinius, Trib. plebis A. V. 614, pertinebat ad magistratum comitia, vt in magistratibus creandis, non voce ciues, sed tabellis vterentur. Sequebatur biennio post A. V. 616 lex Cassia, de iudiciis populi sanciens, vt tabellae etiam in iudiciis populi adhiberentur, praeterquam in iudicio perduellionis. Monent viri doctissimi, iudicia populi capienda esse de publicis, quae per selectos iudices agerentur, sed haec interpretatio videtur legi aliena esse. Dum enim iudicium perduellionis, quod sine dubio populi vniuersi fuit, eximitur e numero iudiciorum quibus lege Cassia tabella datur, haud obscure indicari arbitror, in lege agi de iudiciis, quae in comitiis populi fiebant. Accedit au<sup>t</sup>oritas CICERONIS, qui in Bruto c. 27 de Carbone agens, scribit: *Hic optimus illis temporibus est patronus habitus, eoque forum tenente plura fieri iudicia cooperant. Nam et quaestiones perpetuae hoc adolescentem constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt, - - - et iudicia populi, quibus aderat Carbo, iam magis patronum desiderabant, tabella data.* Opponuntur sibi hic quaestiones perpetuae et iudicia populi, tanquam genera diuersa iudiciorum, nec apparer cur iudicia per selectos iudices agenda, magis patronum desiderauerint tabella data. Non tamen ideo nego, etiam iudices selectos tabellis esse vsos. Potius hoc refero quod dicit c. 10 in Pison c. 40. *An ego expsectem, dum de te LXXV tabellae diribentur. Reliquerat Cassius vocis suffragium in perduellionis iudicio. Huic quoque tabella data per legem Coeliam A. V. 646. Ut in iubendis legibus ac vetandis, populus tabella suffragi- um*

um ferret, C. Papirius Carbo A. V. 622 constituerat. Suffragia clam an palam ferre melius esset, disputat c. c. de Legibus III, 15 sqq.

## §. XIII.

MODVS ferendi suffragia prouide adornatus erat. Modus in comitiis curiatis id, quod pluribus placebat in vnaqua- comitio, que curia, erat suffragium istius curiae, et quod plures rum. curiae iusserant, id ratum erat. Praefuit sine dubio cuique curiae, vt postea centuriis, rogator aliquis, qui suffragia colligeret, et sententiam renunciaret. Quando comitia centuriata habebantur, suum quaeque tribus locum in campo primum occupabat, populus enim in tribus, et tribus in centurias discedebat. Tum fiebat sortitio praerogatiuae inter tribus et centurias. Suffragium praerogatiuae, tanti momenti erat, vt fere semper valeret omen praerogatiuum, et in quam partem inclinasset praerogatiua, in eam reliquae centuriae traherentur. Reliquae centuriae pro censu, ordine atque aerate vocabantur, et iure vocatae dicebantur. Ad comitia pertinebat distinctio ordinum in equites et pedites. Cum suffragium dicendum erat, centuria quaeque, vt citabatur, migrabat in locum cancellis vndique clausum, quem Ouile dixerunt. In ingressu ouilis pontes erant, quos Marius tribunus plebis A. V. 634 lege lata angustiores fecit, ut excluderent qui inspicere tabellam, aut de suffragio rogarre vellet. In pontibus consistebant Diribitores, qui tabellas ministrabant. Ingredientibus in Ouile statim Rogatores cistam proponebant, in quam conicerent eam quam vellent tabellam. Aderant praeterea Custodes, obseruatur ne quid fraudis comitteretur, iudicemque describebant cuiusque centuriae educta e cista suffragia, notando tot puncta in tabella, quot tabellae similes reperiuntur. Denique praeco magna voce renunciabat centuriae

H 2

sen.

sententiam. Quae dicta sunt de tabellis, de pontibus, de personis ministerium praebentibus, communia fuerunt tributis comitiis cum centuriatis, praeterquam quod in comitis tributis non aliis rogator fuit quam ipse ille magistratus, a quo habebantur comitia. Probationes videantur apud G R V C H. de Comit. Rom. l. 2, c. 4. In comitiis magistratum nomina candidatorum inscribebantur tabellis, et vnicuique de populo tot tabellae dababantur quot essent candidati. In comitiis legum duae dababantur, in quarum una scriptum erat V. R. vti rogas, in altera A. antiquo. In comitiis iudiciorum tabellae notabantur litteris A. absoluo: C. condemno: N. L. non liquet.

#### §. XIV.

**C**omitia curiata, ANTE Seruium Tullium regem comitia legum, iudiciorum et magistratum omnia fuere curiata, nec desierunt, centuriatis licet a Seruio institutis. Tarquinii cum tota progenie, suafore Bruto, exulare iussi curiarum suffragiis. D I O N. H. l. 4, p. 275 sq. Primi tribuni pl. non aliis quam curiatis comitis creati sunt, donec A. V. 282 a Volerone lex perlata erat, vt pro curiatis comitiis tributa fierent creandis magistratibus plebeiis, quo patricii auferretur potestas per clientum suffragia creandi quos vellent tribunos. L I V. II, 56. Cumque praeterea omnes magistratus minores a principio curiatis comitiis creati videantur, municipia autem, coloniae et praefecturae curiis non comprehendentur, et tamen in magistratum minorum comitiis admitti cuperent, sicut in maorum comitiis centuriatis, ea ratio inita est omnes cines admittendi, vt hi magistratus tributum, non curiatus crearentur, atque sic effectum, vt curiaturum comitorum usus magis magisque intermitteretur. In illis vero rebus, quae vrbis aut agri Romani habitatorum ius proprium respiciuntur.

respiciebant, vt in arrogationibus, Curionum Flaminque inauguratione, ad ultima vsque reipublicae tempora populi curiatim conuocati retenta sunt suffragia vid. GRVCH. de Comit. l. 3, passim, et in refutat. ad postr. Sigoniū disputationem sect. 2, num. 6.

## §. XV.

MAGISTRATVVM creandorum bina olim comitia Bina ma-  
fuisse, docet cic. Agrar. II, u, loco quidem obscuro, gistratu-  
et ab librariis, vt creditur, corrupto, sed tamen bina um co-  
magistratum comitia testante. Maiores, inquit ad Qui-  
rites, de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre vo-  
luerunt: - . . iterum de eisdem iudicabatur, vt ejus repre-  
bendendi potestas, si populum beneficij sui poeniteret. Nunc  
- . . curiata tantum auspiciorū causa remanerunt. Ad e-  
andem rem pertinet, quod ex Messala refert. GELL. XIII,  
15. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis ma-  
gistratus, sed iustius curiata datur lege: maiores centuriatis  
comitiis sunt. Quaenam fuerint bina haec comitia, nau-  
ter et iterato inter se pugnarunt C. Sigonius et N. Gruchi-  
lius. Viri antiquitatum Romanarum peritissimi. Sigo-  
nius statuit, magistratus Romanos binis eiusdem generis  
comitiis, adeoque aut binis centuriatis, aut binis curiatis  
creatos esse: Gruchius bina illa comitia in maioribus ma-  
gistratibus centuriata et curiata; in minoribus tributa et  
curiata fuisse contendit, et rem ita explicat: eum fuisse  
morem maiorum, vt ad iusta comitia centuriata aut tri-  
buta, in omnium magistratum creatione adiungerent  
curiata, olim quidem, et ad multam vsque aetatem per  
triginta curias, posterioribus vero temporibus ita, vt  
non triginta curiae in suffragium vocarentur, sed pro cu-  
riis, ad usurpationem quandam vetustatis, triginta licto-  
rum suffragiis res committeretur. Et quamvis in historia

H 3

non

non reperiamus, iudicium centuriatorum posterioribus curiatis aliquando esse infirmatum, non tamen dubitat quin hoc pro suo iure populus posset. Alterum vero vsu ipso comprobatum est, retenta esse adumbrata illa comitia curiata, ne auspicia negligi viderentur. De hac contiouertha addit HEINECC. App. Ant. I, 65, in not ab eruditorum senatu iam pridem secundum Gruchium fuisse iudicatum: qua occasione non praetermittendum arbitror, errorem ab Heineccio commissum in recensenda Gruchi sententia, quando ipsi placere scribit: quum obsoleuissent curiata comitia, magistratus omnes binis comitiis creatos, centuriatis et tributis, se enim id pro suo non agnoscere, diserte dicit GRUCH. in respons. ad binas reprehensiones. De vsu comitiorum curiaturum videndus etiam VEN. ERNESTI Excurs. II ad Tacit. pag. 588 ubi docet, consules centuriatis quidem comitiis statim ab initio creatos, sed imperium iisdem datum esse lege curiata, quae modum potestatis consularis definiit, idque postea mansisse, ut honos centuriatis comitiis daretur, imperium curiatis, sive lege curiata.

## §. XVI.

Comitia  
centu-  
riata.

CENTURIATIS comitiis peragebantur ea, quae maximi momenti erant in republica, quaeque maxime firma et sancta volebant esse Romani. Habebantur a magistratibus maioribus, penes quos erant maiora reipublicae auspicia. Illis creabantur magistratus maiores ordinarii, Consules, Praetores, Censores: illis ferebantur leges, quae a magistratibus maioribus ferendae erant, praesertim si auctoritate senatus rogarentur, ac de re quapiam maioris momenti essent. Sic leges XII Tab. centuriatis comitiis perlatae sunt, et cum in contiouertha iure esset, tenerentur patres plebiscitis, L. Valerius et M. Ho-

M. Horatius Coss. legem centuriatis comitiis ferebant, ut, quod tribuni pl. iussissent, populum teneret. LIV. III, 55. De reditu Ciceronis, incredibili concursu Italiae lex comitiis centuriatis perferebatur. ad Attic. IV, 1. De bello indicendo ferebatur lex centuriata, sed de pace facienda lex tributa. Ex iudiciis publicis unicum p̄duellionis semper centuriatis comitiis factum. De aliis, ad hanc comitia pertinentibus, passim agitur.

## §. XVII.

TRIEVTA comitia a curiatis semper diversa fuisse, Comitia curiatis probandum duxit GRVCH. l. 2, c. 5, quod recte tributa ab eo factum esse sumere licebit. In illis tributim diuisus populus suffragium ferebat, et spectabatur quid plures tribus iuberent aut verarent. Comitiis tributis creabantur magistratus minores urbani, et magistratus prouinciales, surrogabantur sacerdotes, ferebantur leges et exercabantur iudicia, quibus de mulcta cerrabatur. Magistratus non poterant mulctare aliquem, sed mulctam ei ad populum dicere, siue irrogare: populus autem mulctam iubere atque remittere, quae mulctae cerratio dicta est. SIGON. Disput. Patauin. l. 1, triduo 5. Quod dixi magistratus prouinciales comitiis tributis creari solitos, unicum habet exemplum in contrarium apud LIV. XXVI, 18, vbi refert, quod, cum nemo auderet in Hispaniam imperium accipere, subito autem P. Corn. Scipio professus se petere, ad unum omnes non modo centurias, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispania iusserunt. De sacerdotum cooptatione infra agetur. Legum nomine comprehenduntur hic plebiscita, rogationes de pace facienda, de soluendo aliquem legibus, quam auctoritatem postea senatus usurpauit, teste Asconio in argumento Orat. pro C. Cornelio, de triumpho decernendo,

de

de quaestionibus publicis constituendis, de ciuitate dan-  
da. Plebeios magistratus, ad quos patricii non admittie-  
bantur, creabant tribuni plebis, hinc tribunorum et aedi-  
lium plebis comitia habebant tribuni plebis. Reliquos  
magistratus ordinarios minores creabant Consules, Di-  
statores, et tribuni militum consulari potestate: extraor-  
dinarios, modo praetores, modo tribuni plebis, inter-  
dum etiam consules, et ad eos creandos comitia habe-  
bant. Legum iudiciorumque comitia tributa habere iis  
magistratibus licebat, quibus ius erat cum populo agen-  
di, consulibus scilicet, praetoribus et tribunis plebis.  
Ceterum quia magistratus plebei ius auspicia capiendi  
non habebant, nec comitia auspicio ab illis haberri pot-  
erant. Siue ergo legum, siue magistratum comitia es-  
sent, quae a tribunis plebis habebantur, ea non auspicio  
habebantur, nisi quatenus obnunciationi parendum e-  
rat. Imo ea etiam tributa comitia, quae a patriciis ha-  
bebantur, auspicio non esse habita, probat **GRUCH. de**  
**Comit.** **Rom. l. 2, c. 4,** vnde etiam reliquorum assertorum  
probationes peti velim. Ratione legis curiatae minores  
quoque magistratus auspicio creatos esse, antea ostend-  
sum est.

### §. XVIII.

Ab illis patriciis exclusi. NEMINEM ex iis, qui de comitiis scripserunt, hoc  
quaesitum in utramque partem agitasse dicit HUBER. **Dicr.** p. 2, h. 1, c. 10, §. 6, utrum patricii a comitiis tributis  
exclusi fuerint? sed nec apparet cur magnopere agitare-  
tur. Supponendum est, quaestionem esse de eiusmodi  
comitiis tributis, quae a tribunis habebantur ad defen-  
dendum plebem contra oppressiones patriciorum, et de  
his nos dubitare non sinunt veterum testimonia, patrici-  
os ab illis fuisse exclusos, ideoque hos conuentus concilia  
dicere maluerunt, quam comitia. In libro Laelii Felicis  
ad

ad Q. Mucium haec scripta sunt, docente GELLIO XV,  
 27. Is qui non uniuersum populum, sed partem aliquam ad-  
 esse iubet, non comitia, sed concilium edicere debet. Tribu-  
 ni autem, neque aduocant patricios, neque ad eos referre ul-  
 la de re posunt. De turbis A. V. 262 scribit DION. HAL.  
 l. 7, pag 430. Brutum, qui primae secessionis plebi au-  
 Ætor fuerat, interrogasse consules: *Meministisne, nobis,*  
*cum dissidium componeremus, hoc concessum a vobis ius, ut*  
*quoties tribuni concionem quacunque de re aduocauerint, ei*  
*se patricii non misceant, neque interturbent, μὴ παρείναι την*  
*συνέδω τὰς πατρικάς, μήτε ἐνοχλεῖν.* *Meminimus,* inquit  
 Geganius. Tum Brutus: *cur igitur impeditis nos, et non*  
*sinitis tribunos, quae volunt, dicere: Respondit Geganius:*  
*quia non ipsi conuocarunt plebem in concionem, sed nos Coss.*  
*quam si ipsi vocassent, non impedituri essemus, nec curiosus*  
*obrepatrii.* Per has auctoritates euidenter patet, ad ea  
 comitia, quorum causa plebi erat propria, et quibus  
 praeerant tribuni plebis, patricios non esse vocatos.  
 Nec in contrarium nos vocat, quod in iudicio Coriolani  
 etiam patricii in tribibus suis suffragium tulisse videntur,  
 tunc enim scissio inter patricios et tribunos respectu iudi-  
 ciorum primam erumpebat, et ex illo demum tempore  
 tribuni patriciorum potentiam audacius vellicare institue-  
 runt. Quando vero magistratus maiores, non solam  
 plebem sed populum ad suffragia tributum ferenda con-  
 uocarunt, tunc patricios quoque comitiis tributis adfuisse  
 non est quod dubitemus.

## CAP. VI.

## DE SACRIS ET SACERDOTIBVS.

## §. I.

IVS PVBLICVM, quod ad statum rei Romanae spectat, Capita  
 tribus capitibus concludit Vlpianus in l. 1, §. 2, D. de  
 et baci.

et I. consistere enim illud dicit in sacris, sacerdotibus et magistratibus. An igitur temere plura iuris publici capita a me constituta sunt? aut cur Vlpianus tria tantum memorat? Non incongrue responderi posse arbitror, suffecisse Vlpiano potiora quaedam adducere iuris publici capita, ad notionem eius quomodo cuncte illustrandam; sed forte etiam respexit ad statum sui temporis, et designauit capita iuris publici, quae tunc supererant. Vineabat sub Caracalla, cuius aevo dudum regimenta reipublicae ad imperatores perpetuo translata erant, ut dicitur in l. 1, D. de Off. praef. praet. et ob mutatam formam reipublicae, de iure publico antiquo multum detraictum erat. Plures sane partes reipublicae adhuc liberae agnoscit c. 1. c. pro Sext. c. 46. Postquam enim dixerat in regenda ciuitate propositum esse debere cum dignitate otium, pergit: *Huius autem otiosae dignitatis haec fundamenta sunt, haec membra: religiones, auspicia, potestates magistratum, senatus auctoritas, leges, mos maiorum, iudicia, iurisdictio, fides, prouinciae, socii, imperii laus, res militaris, aerarium.*

## §. II.

**Religio** CONSTITUTIONEM religionis apud Romanos ge-  
Romano- neratim ita describit VAL. MAX. l. 1, c. 1, no. 1. Maiores  
rum. nostri statas solemnesque ceremonias pontificum scientia; tene-  
gerendarum rerum auctoritates augurum observatione; Apol-  
linis praedictiones vatum libris; portentorum depulsa Etrusca  
disciplina explicari voluerunt. His verbis monstrari arbit-  
rор, quaenam sint ea, de quibus hoc capite exponen-  
dum erit. Dicendum erit de pontificibus, auguribus,  
haruspiciibus et sacerdotibus Sibyllinis. Eadem erunt tra-  
stationis capita, si sequimur Cottam pontificem, religio-  
nis Romanae summam sic comprehendentem apud c. 1.  
*de*

*de Nat. Deor. III, 2.* Cum omnis populi Rom. religio in sacra et in aufficia diuisa sit, tertium adiunctum sit, si quid praedictionis causâ, ex portentis et monstros Sibyllae interpres haruspicesue monuerunt. Et his quidem facris exse qui studebant ea, quae vel ad honorem diis exhibendum, vel ad nutum eorum indagandum, vel ad iram deorum placandam pertinere statuebant. Quia tamen pars religionis publicae, ad bellum, pacem, foedera pertinens, a reliquis sacerdotibus separata, penes collegium facialium erat, de his quoque pro instituti ratione dicendum patet.

### §. III.

SACRA Romanorum erant vel publica, quae publi- Diuisio  
co sumtu pro populo, pagis, curiis siebant; vel priuata, sacro-  
quae pro singulis hominibus aut familiis siebant. Pro rum.  
populo colebatur Vesta igne perpetuo, quem custodie-  
bant virgines Vestales ne extingueretur; quod, si acci-  
deret, in omen accipiebatur, et negligentia non erat  
impunita. A. V. 544 plus omnibus prodigiis terruit animos  
hominum ignis in aede Vestiae extinctus: ob quam causam  
caesa flagro est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat,  
iusu P. Licinii pontificis. LIV. XXVIII, n. Plura de Vestalibus  
cupienti, satisfaciet III. PRAESIDIS Dissert. de Ve-  
stalibus et iure Vestali Pop. Rom. Pro curiis publica sacra  
faciebant triginta curiones: pro pagis, singulorum pa-  
gorum sacerdotes. Non atios autem Deos colere fas e-  
rat, quam qui publice receperint. Cum bello Veien-  
ti animos multiplex religio, et pleraque externa inua-  
sisset, datum negotiorum aedilibus ut animaduerterent, ne  
qui nisi Romani Dii, neu quo alio more quam patrio co-  
lerentur. LIV. IV, 30. Simile decretum, tempore belli  
Punici II factum, refertur XXV, 1. In eandem sententiam  
differt Postumius apud LIV. XXXIX, 16. sed tamen adeo

indulgentes hac in re fuerunt, ut BYNK. de Relig. Peregr. Diff. 2 contendat, regulam fuisse: licere exteris religiones profiteri; exceptionem: dum tamen non fiat contra SCtum. Sacra priuata certae familiae aut genti erant propria, vnde etiam dicta sunt gentilitia. Ea constituebant sibi patres familias arbitratu suo, priuata religione, sed semel constituta conseruanda erant semper, et deinceps familiis tradenda, erantque adeo onus ipsius haereditatis. Nata sunt inde innumerabilia, quibus ICti impleuerunt libros. c. 1. de Leg. II, 19.

## §. IV.

Sacerdo-  
tes.

SACERDOTES dicebantur, qui res sacras diuinasse tractarent, et erant in triplici differentia. Alii singulis diis sacra faciebant, vt Flamines, quorum tres erant praecipui, Dialis, Martialis et Quirinalis: alii singulis rebus operabantur, vt augures qui auspiciorum, haruspices qui extorum, feiales qui belli ac pacis disciplinam tenebant: alii denique omnium promiscue deorum, et omnium ceremoniarum calendarum rationem sibi commendatam habebant, vt pontifices, qui ita instituti erant a maioribus, vt eosdem et religionibus deorum immortalium, et summae reipublicae praeesse vellent. c. 1. pro domo c. 1. De illis porro e. 12. dicit: cognitionem pontificum in ius religionis, et in ius reipublicae esse distibutam.

## §. V.

Pontifi-  
ces.

MAXIMVM apud Romanos sacerdotium erat penes pontifices, quos IV numero a Numa institutos esse tradunt, sed LIV. I, 20 vnicum memorat Numam Marcium e patribus lectum. Pontificum scitis omnia publica priuataque sacra subiecta erant, leges de sacris ferebant, litteres iudicabant, ministros sacerorum in officio continebant, deo-

deorum cultum interpretabantur, veluti quibus hostiis immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis, c. 10. de Leg. II, 12, res diis consecrabant, nec aliter res fiebat sacra, nisi per pontifices rite consecrata esset. Audiendi etiam erant pontifices si quaestio incideret, num aliquid salua religione fieri posset. Cum Cicero dixisset apud pontifices, domum suam publicari, et Libertati consecrari non potuisse, decernebant pontifices: *videri posse sine religione eam partem areae restitui; et quaestti quid essent in decernendo secuti, responderunt: religionis iudices pontifices fuisse, legis senatum. ad Attic. IV, 2.* Sic etiam in adoptionibus, quae sit ratio sacrorum, quaeri a pontificum collegio solebat. *Or. pro domo c. 13.* Usque ad A. V. 452 quatuor pontifices fuerant, iisque e patribus. Ne honoribus plebeiorum sacerdotia amplius deessent, rogationem promulgabant Q. et Cn. Ogulnii, tribuni pl. vt, cum placeret augeri sacerdotum numerum, quatuor pontifices de plebe omnes allegarentur. Aegre patiebantur patres, sacerdotia, quae nondum promiscua erant, vulgari, sed tamen ut lex rogata erat, a plebe iubebatur. *LIV. X, 6.*

### §. VI.

SACERDOTES, quorum non erat collegium quod- Coopta-  
dam, creabantur in comitiis, ut rex sacerorum centuria-tio ponti-  
tis, flamines curiatis: quorum vero erat collegium quod-ficum.  
dam, illi cooptabant collegas. Auguribus tribuit c. 10. ad  
*Fam. III, 10* amplissimi sacerdotii collegium, in quod co-  
optari sacerdotem non licebat, qui cuiquam ex collegio  
esset inimicus. Pontifices a collegio esse cooptatos, te-  
statur *DION. H. 2, pag. 132, et LIV. tum alibi, tum XXXIX,*  
*46. Huius principio anni P. Licin. Crassus, pontifex Max.*  
*mortuus est; in cuius locum M. Sempr. Tuditanus pontifex*  
est

*est cooptatus: pontifex Max. est creatus C. Servilius Geminius.* Ius subrogandorum sacerdotum a collegiis ad populum transferebat Cn. Domitius, tribunus pl. A. V. 650, pontificibus offendior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent. SVETON. in Ner. c. 2. De hac lege porro docet CIC. Agrar. II, 7 quia populus per religionem sacerdotia mandare non posset, legi adiectum, ut XVII tantum tribus vocarentur: ab ea parte populi qui esset factus, is a collegio cooptaretur. Lex Domitia postea et sublata et restituta est, et pertinuit tantum ad sacerdotes, quos antea collegae sufficiebant. v ELLEI. PAT. II, 12. Collegio pontificum adscripti erant Flamines, et una cum illis iudices sedebant. CIC. de Har. resp. c. 6. Rex sacerorum subiiciebatur pontifici, ne additus nomini honos libertati officeret. LIV. II, 2. Minores pontifices erant scribae pontificum. Id. XXII, 57.

## §. VII.

Iurisperito ex patre se audiuisse dixit P. Scaeulae filius, *tia pontici pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius ciuale cognosset.* Parum vere id dictum existimat CIC. de Leg. II, 19. quaerit enim: *Totumne? quid ita? quid enim ad pontificem de iure parietum, aut aquarum, aut ullo omnino?* ergo quod eum religione coniunctum est: *id autem quantum est? de sacris credo, de votis, de feriis, de sepulbris, et si quid eiusmodi est.* Et si autem pontifici sufficiebat, nosse ius ciuale quod cum religione coniunctum erat, nouimus tamen, ius ciuale per multa secula inter sacra ceremoniasque deorum abditum, solisque pontificibus notum fuisse, ut loquitur VAL. MAX. II, 5, 2. Pontifices enim legebantur a patriciis, quorum erat plebeis clientibus de iure respondere, ideoque iurisperitos esse oportebat. Praeterea pontifices curam calendarii fastorumque habebant, et in eorum

ET SACERDOTIVS.

eorum penetralibus abdita erat dierum ratio quibus legi  
agi poterat: videbant regnum forense accommodatum  
esse ad obtinendam augendamque potentiam, et plebem  
sibi obnoxiam reddendam, ideoque excogitabant actiones  
legis, hoc est certas iuris exercendi formulas, qui-  
bus neglectis negotium erat irritum, easque in latenti re-  
tinebant apud collegium pontificum, l. 2, §. 6. D. de O. I.  
vbi etiam dicitur: ex pontificibus constitutum fuisse, qui  
quoquo anno priuatis praeesset; quod praeesse interpre-  
tandum est iuri dicundo praeesse, actionesque et iudicia  
dare. BRISSON. Sel. Ant. I, 20. Forte etiam plerisque  
patricis cognitio iuris civilis magna et difficilis visa est,  
vt ideo solis pontificibus notum esset. Ius religionis au-  
tem scitis pontificum ita subiectum erat, vt ad eorum co-  
gnitionem vnicce pertineret. Constituit illud Numa rex,  
et Marcio pontifici *sacra omnia exscripta exsignataque at-  
tribuit, quibus boſiis, quibus diebus, ad quae tempora sacra  
fierent*, LIV. I, 20 vbi etiam reliqua capita adduntur, quo-  
rum iudices erant pontifices. Quia vero leges paucae e-  
rant, ius pontificium magna ex parte pontificum decretis  
atque sententiis constitutum atque fundatum est, in qui-  
bus retinendis ut constantes essent, responsa ac decreta  
sua in commentarios pontificum retulerunt. BACH. Hist.  
Iur. l. 2, c. 2, sect. 4, §. 54.

§. VIII.

GAVDEBANT pontifices praeter iura hactenus me- Comitia  
morata, etiam iure habendi comitia, quorum una caußā pontifi-  
erat creatio pontificis Maximi, de quo scribit LIV. XXV, cum.  
§. Comitia inde pontifici Maximo creando sunt habita. Ea  
comitia nouus p̄t̄f̄x M. Corn. Cethegus habuit. Sed de  
his comitiis mox plura. Altera caußā, ob quam pontifi-  
ces comitia habebant, erat, ut rex sacerorum et flamines  
inau-

inaugurarentur, hoc est solennibus captatis auguris cre-  
arentur. De his legimus apud GELL. *XV*, 27. Labeonem  
scribere: *Comitia calata esse*, quae pro collegio pontificum  
habentur, aut regis, aut flaminum inaugurandorum caussa.  
Pro collegio ita interpretandum est, ut significet A col-  
legio pontificum haberit comitia, quemadmodum illud  
Pro etiam alias usurpatum, ut apud LIV. *XXXVIII*, 36.  
*Supplicatio in triduum Pro collegio decemvirorum imperata*  
*fuit in omnibus compitis.* Obtigerunt autem haec comitia  
collegio pontificum habenda, quia pontifices supremam  
sacerdotum curam gerebant, in sacerdotes omnes inquire-  
bant, et quia per religionem fas non erat sacerdotia a  
populo mandari. Simil e Gellii l. c. discimus, quibus  
notis distarent comitia calata a reliquis curiatis et centu-  
riatis. Calata nempe dicebantur, si haberentur arbitris  
pontificibus, sacerdotum creandorum, aut testamento-  
rum condendorum caussa, populusque per licetorem cu-  
riatum aut per cornicinem vocaretur. Non videtur vero  
dissimile, quod dicit THEOPHIL. §. 1. *I. de test. ord.* ad te-  
stamenta condenda populum bis in anno conuocatum es-  
se, potius testamenti factio aequa esse negotium princi-  
pale, ac veluti appendix comitiorum.

## §. IX.

Pontifex maximus. PRINCEPS collegii pontificum dicebatur pontifex  
Maximus, dignitatis quadam praerogativa conspicuus,  
quia reliquis praeerat, et quia praecipuae eius partes e-  
rant, in rebus ad pontificum collegium pertinentibus.  
Per populum comitiis creatum esse, probauit paulo ante  
testimonio Liuii, cui plura addi possent si res dubitatio-  
nem haberet. Sed de eo dubitatum est, quibus comitiis  
creatus sit? Refert SVET. in Cas. c. 13. Caesarem in pe-  
titione pontificatus Maximi potentissimos duos competi-  
tores

tores ita superasse, ut plura ipse in eorum tribubus suffragia, quam eterque in omnibus tulerit. Haec verba satis ostendere putat GRVCH. de Comit. l. 2, c. 2, comitia quibus pontifex maximus creatus est, fuisse tributa. Id vero non credibile videtur Cel. ERNESTI in not. ad Suet l. c. quia per populum pontifices maximi haud dubie creati ante quam tributa comitia essent, et quia non probabile est, creatum principem sacerdotum in comitiis, quae sine auspiciis haberentur. Centuriatis igitur creatum arbitratur. Nec obstat quod Caesar in tribubus suffragia tulisse dicitur, nam et c. c. Agrar. II, 2 gloriatur: *Me non extrema tribus suffragiorum consulem declaravit, et tamen comitia consularia extra controuersiam erant centuriata.* Non aliis creabatur pontifex maximus, quam qui esset de collegio pontificum. Mortuo enim pontifice maximo, a collegio cooptabatur qui pontifex tantum fieret, dein pontifex maximus comitis creabatur. A. V. 567, cum obiisset pontifex maximus, cooptabatur pontifex Tuditius, creabatur pontifex maximus Seruil. Geminus. LIV. XXXIX, 40. Is si alunde desumti poterat quam ex numero pontificum, necesse est semper augeri potuisse numerum pontificum, quoties pontifex maximus moreretur, id quod absurdum. Hoc argumento vtitur GRVCH. de Comit. l. 2, c. 3.

### §. X.

VRAEFRANT pontifices, ex instituto maiorum, et Annales iam summae reipublicae, ideoque credo, id sibi datum pontifici putarunt, ut rerum publice gestarum memoriam confitentes Maxi- uarent, quod factum per annales a pontifice maximo confectos. Annales esse dicit GELL. V, 18 cum res gestae plurium annorum, obseruato cuiusque anni ordine, deinceps componuntur. De annalibus pontificis maxi-

K

legi-

legimus apud CIC. de Orat. II, 12. Memoriae publicae retinendae causa, ab initio verum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii qui etiam nunc annales maximi nominantur. Sic appellatos esse dicit MACROB. Saturn. III, 2, quasi a pontificibus maximis factos. Historiam quandam, in analibus maximis libro undecimo scriptam, refert GELL. IV, 5 unde patet, eos digestos fuisse per libros. P. Mucius pontifex maximus fuit post A. V. 621. Forte tumultus intestini qui tum Romae fuerunt, forte etiam civilis belli, quod inter Marium et Sullam gestum est, turbae, huic instituto prisco finem attulerunt. Ven. ERNESTI Excurs. I. in Suet.

## §. XI.

**Augures.** BENE gerendarum rerum auctoritates explicabant augures, quos Iouis optimi maximi interpretes vocat CIC. de Leg. II, 8, quia ex auibus, quas internuncias Iouis esse credebant, de Divin. II, 44 voluntatem Iouis interpretabantur. Agebant autem augurium ex volatu alitis, ex canto oscinis, et ex tripudio solistimo. Romanis sinistra, Grais et barbaris dextra videbantur meliora. Aliates itaque, qui ex parte sinistra templi, quod augur lito designauerat, se ostendebant, laetum auspicium faciebant, et sic etiam cantus sinister oscinis faustus habebatur. Tripodium solistimum nunciabatur, si offa caderet ex ore pulli aude vescensis, idque optimum augurium habebatur, et pertinebat ad res foris agendas. Aliud auspiciorum genus erat in seruando de coelo, de quo supra egi, erat enim fulmen comitiorum vitium. Dicit quidem CIC. de Leg. II, 12 magnum et praestantissimum in republica ius esse augurum, et cum auctoritate coniunctum,

sed

sed multum de veneratione eius detrahit *de Diuin. II. 33;*  
 dicendo: *retinetur ad opinionem vulgi, et ad magnas utili-  
 tates reipublicae mos, religio, disciplina, ius augurium,  
 collegii auctoritas.* Augures ita instituti sunt, ut tres anti-  
 quae tribus, Ramnenses, Tatienses, Luceres, suum quae-  
 que augurem haberent. Hinc recipiebatur ut, si pluri-  
 bus auguribus opus esset, pro tribuum istarum numero  
 multiplicarentur, ideoque, cum A. V. 452 placeret auge-  
 ri sacerdotum numerum, eaque tempestate quatuor au-  
 gures essent, rogationem promulgabant tribuni plebis,  
 ut quinque augures, de plebe omnes allegerentur, quo-  
 terni in singulas tribus essent. Quemadmodum ad qua-  
 tuor augurum numerum, nisi morte duorum id redigunt  
 collegium potuerit, se non inuenire scribit *Liv. X. 6.* Augures a collegio esse cooptatos, aliquoties legimus  
 apud Liuium, et hoc iure *vsos* esse nouimus eos, quo-  
 rum erat collegium. Quando itaque *Liv. XXXI. 45* scri-  
 bit: *extremo prioris anni comitia auguris creandi babita-  
 erant, id praeter morem, forte ob collegarum inter se  
 dissensionem, factum esse existimandum est.*

## §. XII.

**G**ENS nulla olim erat, quae non significari futura, Haruspici  
 et a quibusdam praedici posse censeret, sed diuinationum ces.  
 Diuersa genera usurpabant. Etrusci, quod studiosius et  
 cerebri hostias immolabant, extorum cognitioni se ma-  
 xime dediderunt, quodque propter aeris crassitudinem  
 de coelo apud eos multa siebant, ostentorum exercitatis-  
 simi interpretes extiterunt. *c. c. de Diu. I. 42.* Romani,  
 ne genus esset vulum diuinationis, quod neglectum ab iis  
 videretur, etiam hanc ex Etruria scientiam adhibebant.  
 Serius tamen hanc disciplinam haussisse videntur. A. V.  
 357 prodigia multa nunciabantur, sed hostibus Etruscis,

K 2

per

## CAP. VI. DE SACRIS

per quos ea procurarent haruspices non erant LIV. 15.  
Statua Romae in comitio posita Horatii Coclitis, de coe-  
lo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendum, haruspices  
ex Etruria acciti. GELL. IV. 5. Decreuit tamen senatus  
cum, cum florebat imperium, vt de principum filiis sex  
singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur. CIC.  
de Diu. I. 41. Decem esse traditos scribit VAL. MAX. I. 1,  
c. 1. Auctore DION. HAL. I. 2, p. 93. Romulus statuit,  
vatem unum ex quaue tribu sacris interessè, quem Ha-  
rupsicem nominarunt. Forte itaque alteram haruspici-  
nae partem, quae interpretatur quid quibusque ostenda-  
tur monstribus atque portentis, ex Etruria perierunt, cum  
Romulus iam instituisse ut sacrificiis interessent, et ex vi-  
etima, extis, flamma, fumo aliisque rebus occasione sa-  
crificii forte accidentibus, quid vaticinandum esset doce-  
rent.

### §. XIII.

LIBRI Sibyllini continere credebantur praedictiones  
fatorum imperii Romani, et modum expiandi prodigia.  
Qua ratione Tarquinii siue Priscus siue Superbus eos  
libros comparauerit, narrant DION. H. I. 4, pag. 259, et  
GELL. I. 19. Conditi erant in sacrarium, et ad eos quasi  
ad oraculum adibant, cum insigne aliquod portentum  
nuntiatum esset. De Q. Fabio M. scribit LIV. XXII. 9  
peruicit vt, quod non ferme decernitur nisi cum tetra prodi-  
gia nunciatu sunt, decemuiri libros Sibyllinos adire iuberentur.  
Sacerdotes Sibyllini ab initio duo erant, qui Du-  
umuiri sacrorum appellabantur, item Duumuiri sacris fa-  
ciundis. Priore appellatione vtitur LIV. III. 10. Libri  
per duumuiri sacrorum aditi: posteriore V. 13. Libri Si-  
byllini ex SCto aditi sunt, duumuiri sacris faciundis lecti-  
sternio tunc primum in urbe Romana facto, per dies odo  
Apollinem placauere. A. V. 387 C. Licinius et L. Sextius  
Tri-

Tribuni pl. rogationem promulgabant, vt pro duumviris sacris faciundis decemviri crearentur, ita vt pars ex plebe, pars ex patribus fieret, eamque perferebant. **LIV.**  
**VI.**, 38 et 42. Post Sullae dictaturam Quindecimviri facti sunt.

### §. XIV.

PARS religionis publicae, quae circa negotia belli Feciales, ac pacis versabatur, demandata erat collegio Fecialium, a Numa instituto, et ab Anco Marcio plenius ordinato, vt Romani aequitatem belli, iure faciali sanctissime prescriptam, obseruarent, omnesque gentes scirent, populum Romanum et suscipere iuste bella et finire, quod Scipio Afric. gloriatur apud **LIV.** XXX, 16. Ante itaque quam arma arriperent, auctoritate senatus mittebantur feciales legati res repetitum, quae actio Clarigationis nomine significatur. Solenia clarigationis peragebantur vel a Patre patrato, praefide collegii fecialium, et principe legationis, vel, vt alii malunt, a faciali quodam ad clarigandum electo, quem stipabat verbenarius, verbenas siue sagmina praeferens, vt hoc signo legationis conspicui, ab omni violatione tuti essent. Facta clarigatione et satisfactione non secuta, dabantur XXX dies ad deliberandum, quibus elapsis reuertebatur Fecialis Romam, omnia se rite exsecutum renuncians. Tum consul rem referebat ad senatum, qui, si censuisset rogationem de bello ad populum ferendam, et populus bellum iussisset, ex SCro siebat indicatio, faciali hastam ferratam aut sanguineam praevostam, post recitatum carmen solenne, in fines hostium mittente. Ut foedus pacis perficeretur, requirebatur non solum vt populus pacem iuberet, et patres auctores fierent, sed etiam ex iure faciali necessarium erat, vt mitterentur feciales cum sagminibus, ceremoniam solemnem facturi. De ritibus in foedere feri-

endo usitatis scribit SVETON. in Claudio cap. 25. Cum regibus foedus in foro icit, porca caesi ac vetere facialium praefatione adhibita. Porcam, hostiam in foedere feriendo, Romani a priscis Latii populis reperant, eaque, ritu Romanis proprio, saxo silice percutiebatur teste LIV. I, 24. Dicit ille quidem porcum percussum, sed etiam foemina porcus appellatur apud CIC. de Legib. II, 22. Praefatio facialium erat solennitas verborum, qua potestatem foederis ferendi olim a rege, postea a consule aut praetore bellum gerente faciales impetrabant. Formula reperitur apud LIV. I, 24. De hoc argumento legi meretur FR. C. CONRADI, ornamenti quandam huius Academiae, dissertatio doctissima *de facialibus et iure faciali populi Romani*. Helmst. 1734.

## CAP. VII.

## DE MAGISTRATIBVS POPVLI ROMANI.

## §. I.

Magistra- **M**AISTRATVS apud Romanos erant potestates ciuitatum, rempublicam in partibus sibi a populo creditis, conditio. per tempus legitimum administrantes. Cum ideo magistratus in republica constituantur, ut partem quandam imperii ciuilis exerceant, muneri magistratum insita est publica quaedam iubendi administrandue auctoritas, et ob eam magistratus dico potestates, parum hic sollicitus de eo, quod in I. 25 D. de V. S. dicitur: *potestatis verbo plura significantur*, huius enim pracepti usus est in explicandis legibus. In forma democratica reipublicae Romanae, magistratus omnes erant beneficium populi, id coque suffragiis populi in comitiis collatos, supra iam ostend-

ostensum est. Excipiendi tamen a regula dictator, magister equitum et interrex. Inter leges quas P. Valerius ferebat ad tutandam plebem, vna erat: ne quis Romae magistrorum gereret iniussu populi, mortis poena proposita si quis contra faceret, et impunitate concessa si quis tales occideret. DION. H. 1.5, pag. 292. Ne autem insolenter se efferrent magistratus, placuit statim in ordinatione reipublicae liberae, potestatem magistratum exemplo Atheniensium contrahere intra tempus annum, quod in quibusdam adhuc fuit breuius.

## §. II.

HONORVM ciuilium tantus erat splendor, ut pleri Petitione que cupidissime illos appeterent, et pro illis obtinendis candidaque populo officiosissime supplicarent. Petitionem biennio torum. ante incipiebant candidati quam magistratum inire possent, quod patet ex lege Tullia, dilucide vetante, biennio quo quis petat, petiturusue sit, gladiatores dare. CIC. IN Vatin. c. 15. Proprie annus petitionis erat, quo designandi aut repellendi erant qui petebant, et indicis comitii magistratum, candidatos se prosteri oportebat, qui rationem sui habere vellent. Caecilia prohibitus erat petere consulatum, quod intra legitimos dies prosteri nequierat. SALVST. bell. Catil. c. 18. Legitimos dies exponit LIV. VII, 22. Cum censoribus creandis indicta comitia essent, professus se petere censuram C. Marcius Rutilus. Et XXVI, 18, cum in Hispaniam imperatorem mitti placebat, diemque comitii consules edixissent, exspectabant ut qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. Signum petitionis erat roga candida, quam gestabant ut dignoscerentur, et ab ea dicebantur Candidati. Gestabant illam per trinundinum, quo editum de die comitorum propositum erat, coque in primis trinundino

dino populo supplicabant circumeundo et prensando. Mos hic antiquissimus perpetuo seruatus. Tarquinus Superbus, regnum affectans, circumbat et prensabat patres. LIV. I, 47. Idem obtrinebat sub Imperatoribus. De studio suo iuuandi petitionem amici scribit PLIN. I, 2, Ep. 9. *Prenso amicos, supplico, ambio domos, stationesque circumeo.* Inficetus iocuſ erat, quem inter memorabilia consignauit VAL. MAX. I, 7. c. 5, n. 2. P. Scipio Nasica, eum aeditatatem curulem adolescens peteret, manumque cuiusdam, rusticō opere duratam, more candidatorum tenacius apprebendisset, ioci gratia interrogauit eum, num manus solitus esset ambulare. Quod dictum causam repulsaē attulit. Interdum etiam non petentibus, imo recusantibus magistratus dati. Cum illustres viri consulatum peterent, omnes in Q. Fabium Max. primo non petentem, deinde ut inclinata studia vidit, etiam recusantem conuersi, consulem eum dicebant. LIV. X, 13.

### §. III.

Creatio  
magistra-  
tuum,

NOVIS magistratibus rogandis praerant, qui eo tempore, quo suffragii populi creandi essent, magistratum gerebant. Duo hic consideranda sunt: quinam ius rogandi habuerint, et quodnam ius illis fuerit circa receptionem magistratum. A minore imperio maius, aut maior collega rogari iure non poterat. Hinc consulema a consule, imo etiam praetores a consule creari oportebat. *Nos in libris habemus*, scribit CIC. ad Attic. IX, 11, *non modo consules a praetoribus, sed ne praetores quidem creari ius esse, idque factum esse nunquam.* Consules eo non esse ius, quod maius imperium a minori rogari non sit ius: praetores autem, eum ita rogentur ut collegae consulum sint, quorum est maius imperium. Cum his conueniunt quae ex Messala citat GELL. XIII, 15, vbi additur: cum aliquando acci-

accidisset, vt praetor praetores crearet, augures veterum auctoritatem secutos, iis comitiis in auspicio non fuisse. Circa receptionem candidatorum fas erat magistratibus iudicare, vtrum eorum ratio habenda esset. Marcio Rutilo censuram petente, negabant consules se eius rationem habituros. LIV. VII, 22. C. Seruil. Glaucia consul factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum esset. c.c. in Bruto c. 62. Apud VAL. MAX. I, 3, c. 8, n. 3. C. Piso Consul, cum populus M. Palicano, sedirissimo homini, consulatum deferre cuperet, et tribuni plebis interrogarent, num creatum renuntiaturus esset? Non renuntiabo, inquit.

## §. IV.

AMBIENDIS et gerendis magistratibus praefitura Leges an-  
erant certa aetas, certa interualla, certusque ordo in pe-  
nales. tendo obseruandus. Primus magistratus urbanus erat  
quaestura, eam excipiebat aedilitas, tum sequebatur  
praetura, tandem consulatus. *Quam absurdum*, inquit  
c.c. Philip. XI, 5, qui praetor fieri non potuerit, eum petere  
consulatum? Quot annos nati quemque magistratum pe-  
terent caperentque, rogationem tuhit L. Villius, tribu-  
nus plebis; inde cognomen familiae inditum ut Annales  
appellarentur. LIV. XL, 43. Sed iam ante leges de aetate  
exitissi, patet ex eo, quod idem refert XXV, 2. P. Corn.  
Scipioni, petenti aedilitatem, obstitisse tribunos pl. ne-  
gantes rationem eius habendam esse, *quod nondum ad pe-*  
*tendum legitima aetas esset*. Quando ea requiri primum  
cooperit, incertum. Apud maiores inquit TACIT. Ann.  
XI, 22, ne aetas quidem distinguebatur, *quia prima iuventa*  
*consulatum ac dictaturas invenit*. Anni petitionum tra-  
duntur fuisse Quaesturae XXXI, Aedilitatis XXXVII,  
Præturae XL, Consulatus XLIII, SIGON. ramen de A. I.

L

C. R.

*C. R. l. 2, c. 2,* legitimum capiendae quaesturae annum fuisse XXVII aetatis, satis ab aliis demonstratum esse dicit. Diuersi itaque magistratus, si a quaestura discesseris, interuallo duorum annorum ab inuicem seiuenti fuerunt. De eodem magistratum bis gerendo lata fuit lex: ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet. *l. v. VII, 41.* *Q. Fabius Max.* consulatum recusans, legem recitari iubebat, qua intra decem annos eundem consulem refici non licet. *l. v. X, 13.*

## §. V.

Imperi-  
um ci-  
piale.

MVNERI magistratum insitam fuisse dixi potestatem, laxiore illo significatu, quo denotat iubendi auctoritatem, omnibus magistratibus communem. Potestas haec dicitur etiam imperium, et in laxiore significatione omnes magistratus imperium quoque habuerunt. Sed in strictiore significatu quibusdam tantum magistratibus tribuitur imperium, aliis negatur. In *l. 32. D. de Iniur.* definiuntur magistratus minores: *Qui sine imperio aut potestate sunt magistratus.* Inquirendum itaque, in quo consideriter illud imperium, quod magistratus aliis ab aliis disceruit. Differentiam magistratum respectu potestatis ex Varrone enarratus describit *GELL. XIII, 12.* In magistratu habent alii vocationem, alii pensionem, alii neutrum. Vocationem, ut consules, et ceteri qui habent imperium: pensionem, ut tribuni plebis et alii qui habent viatorem: neque vocationem neque pensionem, ut quaestores et ceteri, qui neque licetorem habent, neque viatorem. Sed hinc non satis perficitur, in quonam positum fuerit imperium, nam pars imperii, consistens in iure vocandi absentes in ius, non absoluebat totum imperium. Magis ad notionem imperii formandam facit, quod dicitur in *l. 2. D. de in ius voc.* in ius vocare non oportere *magisfra-*

stratus qui imperium habent, qui et coercere aliquem possunt, et iubere in carcerem duci, hinc enim fere colligitur plenior illa imperii notio, quam dedit V. ERNESTI in Clau. Cic. b. v. Imperium ciuale, inquit, est magistratum urbanorum, et omnium prouincialium, et alio nomine potestas dicitur, habetque prebensionem, animaduersionem, coercitionem, in prouincia etiam ius securium, atque alia multa, quae ratio magistratus postulat. Qui itaque magistratus haec iura non habebant, erant sine imperio aut potestate. SIGON, de A. I. C. R. l. 1, c. 20 imperium tribus in rebus positum fuisse dicit, in edicendo, in vocando, in prehendendo. Edicebant magistratus, voce aut scripto pro sua potestate aliud iubendo.

### §. VI.

ALTERVM imperii genus erat militare, quod consi- Imperi-  
stebat in iure sacramento milites adigendi, exercitum um mi-  
habendi, bellumque gerendi. In quibusdam magistrati- litare.  
bus ius imperandi tam in rebus bellicis, quam in rebus  
urbanis valebat; in quibusdam tantum in rebus urbanis,  
ut in censoribus; in aliis tantum in rebus militaribus, ut  
in tribunis militaribus ad legiones. Super eo quod dixi,  
imperandi ius quorundam magistratum pertinisse et ad  
res urbanas et ad res bellicas, reciprocata est contentio-  
nis serra inter Sigonium et Gruchium. Statuebat Sigo-  
nius, Consules et praetores, proprio sui magistratus offi-  
cio, ciuilium tantum rerum administrationem habuisse,  
potestatem autem attingendae rei militaris alterum seu  
aduentitium faciebat imperium, ab imperio magistratus  
diuersum. Gruchius contra multo cum argumentorum  
et auctoritatum apparatu docere aggressus est, consules,  
dictatores, praetores insitam in suo magistratu habuisse  
potestatem rei militaris, non vero fuisse imperium quasi  
aduen-

aduentitium et a magistratu diuersum, in refutat. ad posterior. Sigonii disputat. no. 4, atque veriorem sententiam defendisse censendus est. Magistratus ciuiles dicebantur esse in imperio, militares cum imperio, quod tamen discrimen non est perpetuum.

## §. VII.

Ius refe-  
rendi.

vno erant in republica Romana consilia publica, quorum erat statuere de eis, quae publice decernenda essent, senatus et populus, et ad alterutros, pro cuiusque potestate referendum erat, si quid factu opus esset. Duplex itaque fuit ius referendi, alterum ad senatum, ad populum alterum: utrumque solis permisum fuit magistratibus. De iure referendi ad senatum, exponitur apud GELL. XIV, 7, ibique in not. Gronou. Referebant ad senatum non solum consules aliique magistratus per quos senatus habebatur, sed etiam omnes ii, quibus senatum conuocandi ius erat, sic ut eodem die diuersos magistratus de rebus diuersis retulisse legamus. Referri autem oportebat aut infinite de republica, aut de singulis rebus finite. Qui ad populum aliquid referebant, dicebantur agere ad populum vel cum populo. Cum populo agere, erat rogare quid populum, quod suffragiis suis aut iuberet aut veraret. Ad populum agere, five concessionem habere, erat verba facere ad populum sine vila rogatione. GELL. XIII, 15. Neque ad populum, neque cum populo egit quisquam, nisi aut magistratus aut a magistratu productus. SIGON. de A. I. C. R. l. 1, c. 20.

## §. VIII.

Diuinis-  
magistra-  
tuum.

MAGISTRATVS Romanorum non vno modo inter se differebant. Alii erant in vrbe, alii in prouinciis, hinc vel urbani vel prouinciales. Alii erant maiores, qui

qui maiora habebant auspicia, et comitiis centuriatis creabantur; alii minores, qui minora habebant auspicia, quibusque tributis comitiis dabatur magistratus. Denique alii erant ordinarii, qui ordinarie statisque temporibus, alii extraordinarii, qui interdum creabantur. De singulis agere nimis prolixum foret; dicam specialius de eis tantum qui celebriores fuerunt, quorumque in iuris publici tractatione in primis ratio habenda.

## §. IX.

**C**ONSULES initio reipublicae liberae quasi vnicus e- Confusa-  
rant magistratus, successerant enim in locum et iura re- les.  
gum, de quibus dicitur in l. 2, §. 14 de O. I. *Quod ad ma-*  
*gistratus attinet, initio ciuitatis buius constat reges omnem*  
*potesstatem babuisse.* Demus, quod monet C VI A C. ad l. c.  
reges celsores fuisse magistratibus, concedamus idem de  
consulibus, vtrosque recte dicemus magistratus, quia iu-  
risdictionem aliasque partes potestatis magistratum vel  
per se exercebant, vel vt per se exercendas spectare de-  
bebant. Inter cetera officia regia, inquit DION. H. l. 10.  
init. iuris quoque reddendi munus ad consules deuenit,  
ita vt quacunque de re orta esset inter ciues controuersia,  
illi de iure responderent. Appius consul, quam asperri-  
me poterat, ius de creditis pecuniis dicebat. LIV. II, 27.  
Cum vero nimium consulum imperium videretur, mul-  
tis modis vndeique diminutum est. Primum enim lex de  
prouocatione lata, cautumque ne in caput ciuis Romani  
consul animaduertere posset. Dein tribuni pl. creati,  
multum de imperio consulum detraxerunt, et aediles  
plebis aliquantum etiam de auctoritate eorum diminue-  
runt. Censores instituti, aliam curationis publicae par-  
tem consulibus ademerunt, quod idem et praetor, et  
aediles curules creati fecerunt. SIGON. de A. I. C. R. l. 1,  
c. 20.

L 3

§. X.

## §. X.

Tribuni  
et aediles  
plebis.

TRIBVNORVM plebis potestas, si primam eorum institutionem spectes, non in agendo, sed in impediendo prohibendoque consistebat, indeque Appius consul apud LIV. II, 56 Tribunum pl. priuatum esse dicit, sine imperio, sine magistratu. Intercedebant non modo senatusconsultis, et actibus omnium magistratum solemini illo verbo Veto, verum etiam comitiis centuriatis legum et magistratum. A. V. 402 comitia consularia certamen patrum ac plebis dirimebat, tribunis negantibus passuros comitia haberi, ni secundum Liciniam legem haberentur. LIV. VII, 21. Non habebant vocationem absentium, ut consules et caeteri magistratus qui imperium habebant, sed tamen pensionem praesentium. Diuersitatis rationem a prima institutione repetit GELL. XIII, 12. Potestati tribunitiae augendae occasionem improuide dabat ipse senatus, tribunos appellando, ut pro potestate sua consules cogerent dictatorem dicere; qua ita vrebantur, ut consulibus vincula minarentur, si aduersus consensum amplissimi ordinis ultra tenderent. LIV. IV, 26. De plebiscitis, quae illis auctoribus promulgabantur, actum iam supra est. Adiutores tribunorum erant aediles plebis, ad id creati, ut Tribunis essent ad manus, eorumque iussu causas leuiores, litesque priuatas diiudicandas susciperent. DION. H. VI, p. 411. Idem praeerant non solum aedibus, in quibus senatusconsulta et plebiscita adserabantur, sed omnibus sacris et locis publicis, BYNKERSH, praetermissa ad §. 21

## §. XI.

Quae-  
stores.

QVAESTORVM nomen iam sub regibus notum fuit, incertum vero regnante quo primum fuit instituti L. vn. pr. D. de Off. Quaest. et num ab ipsis regibus, an vero a popu-

populo creati sint. Mansit Consulibus potestas diligendi quaestores, donec eum quoque honorem populus mandaret, auctore TACIT. Ann. XI, 22, quem cum dissentientibus componit ERNESTI in not. Initio duo tantum fuerunt, postea numerus eorum duplicatus, imo multiplicatus est, factique sunt alii urbani, alii prouinciales. A duplicando quaestorum numero moles discordiarum inter plebem ac patres oriebatur, flagitantibus tribunis, vt pars quaestorum ex plebe fieret, ob quos motus tota res aliquamdiu omissa est. LIV. IV, 43. Quaestores urbani duo aerarium curabant, pecuniam publicam in illud referabant et erogabant, legatis exterarum gentium hospitia assignabant, et aliis necessitatibus eorum aderant, regibus Romanam venientibus iussu senatus obuiam ibant. VAL. MAX. I, 5, c. 1, no. 1. Consuli in expeditionem iruro signa ex aerario deferebant LIV. VII, 23. Quaestores prouinciales, praefides in prouincias comitabantur, pecuniam publicam ex aerario attributam dispensabant, vestigalem pecuniam in prouincia exigebant, eius rationes reddabant, et residua aerario inferebant. Nonnunquam praefidum mandato iurisdictionem exercebant. SVET. Iul. cap. VII. Quod si praefides ante aduentum successoris de prouincia deceperint, quaestorem prouinciae praepone-re solebant. CIC. ad famili. Lib. II, Epist. 15 et 18. Erant alter magistratus praeter praefidem. Sortiebantur prouincias a senatu decretas, vt eam administrarent quam fors dedisset. Si successor non mitteretur, poterant decedere de prouincia si vellent, aut, si sua sponte in ea esse vellent, imperium retinebant. Quibus vero senatus imperium prorogabat, illis necessario manendum erat.

### §. XII.

CENSURA, res a parua origine orta, deinde tanto Censores.  
incre-

incremente aucta est, vt morum disciplinaeque Romanae penes eam regimen, senatus equitumque centuriae decoris dedecorisque discrimen sub ditione eius magistratus, publicorum ius, priuatorumque locorum, et vestigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent. *LIV. IV, 8.* Census habebatur primum a regibus, dein a consulibus, at quia consules vacare censi agendo per plures annos non potuerant, ideo evenit, vt peculiares magistratus rei operosae ac minime consulari curandae crearentur, qui a censendo censores sunt dicti. Bini creabantur, initio in quinquennium, lege vero Aemilia, quod quinquennialis censura grauis esset, decem et octo mensium temporis spatium censurae finiebatur. *LIV. IV, 24.* Censuram institutis Romae admirantis accenset MONTESQ. *Espr. des loix, XI, 16.* quia per eam singulis quinquenniis populus de integro quasi formabatur, et legislatio in eos exerceretur, qui habebant potestatem legislatoriam. Notae censoriae erant, senatorem senatu mouere, equiti equum publicum adimere, plebeium in caeritum tabulas referre et aerarium facere. Sed etiam senatores et equites aerarios facere poterant. Exempla sunt apud *LIV. IV, 24* et *GELL. IV, 20.* Nota censoria interdum publice non curabatur. Aemilius, quem censores aerarium fecerant, ob magistratum populi Rom. minutum, paullo post dictator creabatur, et nihil censoria animaduersio efficiebat, quo minus regimen rerum ex notata indigne domo peteretur. *LIV. IV, 31.* Ignominia a superiore decreta, a sequentibus rursus tolli poterat, et saepe alter alterius iudicium non modo reprehendebat, sed etiam rescindebat, et quod vnu sivebat alter yetabat. *CIC. pro Cluent. c. 43.* Amborum igitur consensus semper requirebatur. Cum vnu decessisset, religio erat aliud in demortui locum sufficere. *LIV. V, 31.*

§. XIII.

## §. XIII.

PRAETORIS creandi occasione in dabant discordiae, Praetor patricios inter et plebeios, de consule uno ex plebe creando, ortae. Hae ita terminabantur, ut ab nobilitate peregrinus. plebi de consule plebeio: a plebe nobilitati de praetore uno ex patribus creando, concederetur, qui ius in vrbe dicendo, munus consulare sustineret. LIV. VI, 42. Aliam praetoris creandi rationem adfert Pomponius l. 2, §. 27. D. de O. I. dicendo; neminem tunc in ciuitate fuisse, qui ius reddere posset, quia consules finitimi bellis auocarentur: sed praetextum patriciorum allegasse creditur. Initio igitur vnu tantum erat praetor, Vrbanus dictus, quod in vrbe ius redderer, breui alter additus, qui inter ciues et peregrinos ius diceret, Peregrinus inde appellatus. Cum Sicilia et Sardinia, duaeque Hispaniae prouinciae factae essent, accedebant quatuor praetores, prouinciis illis cum imperio praeficiendi. Constitutis autem quaestoribus perpetuis, placebat patribus, ut in totum magistratus sui annum praetores in vrbe manerent, duo ius dicerent, quatuor iudiciis publicis praeesserent, exacto autem anno forte in prouincias mitterentur. Haec et reliquas accessiones accurate exponit LIPSIVS Excurs. D. ad I. Ann. Tacit. Praetorum urbanorum, qui et maiores dicti, dignitas maxima erat, erant collegae consulum, iisdemque auspiciis creabantur. GELL. XIII, 15, quando consules aberant, consulare sustinebant munus CIC. ad famili. lib. X, epist. 12, eorumque insignia habebant. Interdum vnu praetor vtramque iurisdictionem, vrbanam et peregrinam habuit. LIV. XXV, 3 et XXXIX, 39.

## §. XIV.

HONORI patriciorum adhuc alia accessio fiebat, pro Aediles consulato altero plebi concessio, Aedilitas curulis, quae Curules.

M

TCS

res ita accidebat. Ostendebant patres, ob ordinum reconciliationem ab diutina ira, Deum immortalium causa libenter facturos fore ut ludi maximi fierent; et dies unus ad triduum adjiceretur. Aediles plebis id munus recusabant, forte quod nouum onus sibi imponi nollent: tum patricii iuuenes concilababant, se id honoris Deum immortalium causa libenter facturos, ut aediles fierent. Populus studium hoc collaudabat, binosque patricios iuuenes aediles creabant, sellamque curulem honoris causa illis concedebat, inde Aediles curules sunt dicti *l. v. 42 et VII, 1. R V PERTI animadu. lib. II, cap. XII.* Aedilibus curae erant omnes res, quae ad decus et tutelam urbis pertinebant, praererant ludis, viis, aedibusque publicis. De venditione mancipientium, de mensuris, et de foro venalium ius dicebant. Ludos ab aedilibus faciebant, et fructus ob eam sollicitudinem, aliarumque rerum procurationem datos, memorat c. c. in *Verrem l. 5, c. 1.* Inueterauerat in ciuitate iam a bonis temporibus, ut splendor aedilitatis postularetur. *de Offic. II, 16.*

## §. XV.

Tribuni  
militum.

ORTA contentione pertinacissima super consulatu cum plebe communicando, et neutra parte alteri cedere volente, illud interea temperamentum adhibebatur, ut loco consulum promiscue e patribus et plebe crearentur tribuni militum consulari potestate, de consulibus creandis nihil mutaretur: malebant enim patres communicare plebi consularem potestatem, quam consulum nomen. Indictis comitiis creandorum tribunorum, cum patricii eam tantum ob caussam peterent, ne cessisse possessione reipublicae viderentur, euentus docebat, alias animos in contentione libertatis dignitatisque, alias secundum deposita certamina incorrupto iudicio esse, nam populus con-

contentus eo, quod ratio plebeiorum habita esset A.V. C. 310 comitiis hac de re habitis, tres Tribunos militum, omnes patricios creabat. LIV. IV. 6. Insequentibus temporibus modo tres, modo quatuor, demum sex creati sunt. conf. BYN KERSH. *praetermissa ad §. 25*, vbi Pomponium refellit interdum viginti fuisse tradentem. Non ita continui fuere tribuni, ut non interdum interponerentur consules, et concessu plebeis consulatu plane creari desierunt. Ceterum vii in locum consulum succedebant, ita quoque idem imperium eademque insignia habebant.

## §. XVI.

INCIDEBANT interdum tempora, quibus ad salutem reipublicae tuendam maiore imperio opus esse videbatur, quam quod consulibus per leges Valerias relictum erat, et tunc summae rei praeficiebant dictatorem. Eius potestas erat libera. Cum Sp. Melius regnum affectare compertus esset, ad facinus illud pro atrocitate vindicandum, nequaquam satis virium in consulatu esse, dicebat T. Quintius consul, *opus esse non fortis solum viro, sed etiam libero, exsolutaque legum vinculis: itaque se dictatorem dicturum*. LIV. IV. 13. Dictator erat sine prouocatione. App. Claudius apud LIV. II. 29. *Agedum, inquit, dictatorem a quo prouocatio non est, creemus.* Et quamvis apud eundem VIII. 33, M. Fabius filium aduersus dictatoris imperius, prouocatione defendere conatur, inquiens: *prouoco ad populum, cumque tibi iudicem fero, qui certe plus quam tua dictatura potest polletque, ostendunt tamen sequentia, aliis non idem esse visum, adeoque lex Horatia, ne quis magistratus sine prouocatione crearet, ad ordinarios tantum magistratus pertinuit.* Causa itaque primaria constitundi dictatorem fuit, ut in rebus trepidis salutem reipublicae fulciret: sed ob alias quoque causas

dici coepit. Si consules comitiis adesse non possent, nec tamen senatus vellat rem ad interregnum redire, comitorum habendorum causa creabatur dictator. A. V. 420 iussi ambo Coss. aduersus Sidicinos ducere exercitum, dictatorem ante ex SCto comitiorum habendorum causa dixerunt. LIV. VIII, 16. Alia causa erat, si clavis religio-  
nis causa figendus esset. Cum vrbs pestilentia laboraret, A. 392 senatus dictatorem clavi figendi causa dici iubebat, quia seniores meminerant, pestilentiam quondam, clavo ab dictatore fixo, sedatam. LIV. VII, 3. Et A. V. 424, cum matronae venena miscentes mente captiae crederentur, dictatorem clavi figendi causa creari placebat, quia clavis a dictatore fixus, quondam alienatas discordia mentes compotes sui fecerat. LIV. VIII, 18. Ludorum quoque causa dictatores creatos legimus apud LIV. VIII, 40, et IX, 34. Dicebatur dictator iubente senatu a consule, oriente nocte, silentio, captatis auspiciis, et quidem ordinarie ex consularibus. Dictatura erat feme-  
stris, quia magna imperia diuturna esse, periculosum fuisset. Saepe ante legitimum tempus sponte sua se abdi-  
carunt.

### §. XVII.

**I**nterrex. **S**TATVS reipublicae, quo imperante vel magistratu summo destituitur, dicitur interregnum. In republica Romana, cum magistratus essent annui, interregnum intidebat, quoties comitia consulum creandorum ante anni exitum haberet non poterant, siue qui erant consules magistratu se abdicasent, siue in eo obiissent, siue obnuntiationibus aut tribunorum intercessionibus comitia directa essent. In primo interregno quod erat post obitum Romuli, centum patres, referente LIV. I, 7. decem decurias fecerant, singulis in singulas decurias creatis qui summae rerum praeessent. *Decem imperitabant, unus cum*

eum insignibus imperii et licitoribus erat: quinque dierum spatio finiebatur imperium. Hunc morem in libera republika ita usurpabant, vt, quoties res ad interregnum rediisset, patricii coirent, et interregem ex se proderent, cuius erat comitia subrogandis magistratibus habere. Retinebant nomen, quod olim post mortem Romuli magistratus extraordinarius acceperat, retinebant etiam imperium quinque dierum. Ratio prodendi interregis erat, quod magistratus auspicato creari oportebat. Dum unus erat patricius magistratus, auspicio ad patres redire non poterant, ideoque saepe mora siebat comitiis, c.c. ad Brut. ep. 5. deficientibus vero omnibus magistratibus patriciis, auspicia redibant ad patres, et tunc creabant interregem ad habendum comitia. Nunquam reperiuntur comitia a primo interrege habita. A. V. 402 infestam partibus plebem interreges cum accepissent, ad undecimum interregem seditionibus certatum est. LIV. VII, 21. et A. V. 428 quartus decimus demum interrex consules creabat. LIV. VIII, 23. Successorem in quinque dies proximos prodebat interrex. Aliquando etiam consules se abdicarunt, vt per interregnum renouarentur auspicia. Vtrumque docet LIV. V, 31. Placuit per interregnum renouari auspicia: itaque cum ex SCto consules magistratu se abdicassent, interrex creatur M. Furius Camillus, qui P. Corn. Scipionem, is deinde L. Valer. Potitum interregem prodidit. cf. OBRRECHT Diff. Acad. XX de Extraord. P. R. imperiis.

### §. XVIII.

PROVINCIAE Romanae erant regiones, ita in potestate redactae, ut et Romanis magistratibus parerent, tuis pro et legibus vterentur, quibus Romani eos vti vellent. Euninciant vel consulares vel praetoriae, prout vel viris consularibus vel praetoriis administrandae dabantur, neque enim

enim certae erant prouinciae, quae non possent esse nisi consulares aut praetoriae, sed pro senatus voluntate eadem prouinciae nunc consulares erant, nunc praetoriae. Imperium magistratum in vtrisque erat idem, id tamen intererat, quod proconsules habebant maiorem exercitum, plures fasces et ornamenta consularia; praetores autem minorem exercitum, pauciores fasces et ornamenta praetoria. In primas prouincias orbis Romani, Siciliam, Sardiniam et Hispaniam forte ibant praetores, suffragiis populi ad id creati, vt prouinciae his praeeffent cum imperio. Si tempus reipublicae flagitaret, extra ordinem mittebantur etiam proconsules comitiis creati. Proconsules tribus modis sub libera republi-*ca* dictos, obseruat ROSIN. *Ant. Rom.* VIII, 42. Primum eos, quibus ultra annum tempus magistratus prorogatus fuit, quod singulare primum contigit Publilio Philoni, non ante in vlo factum. LIV. VIII, 23 et 26. Secundo eos, qui ex priuatis ad bellum gerendum missi sunt, quod primum factum est in P. Corn. Scipione. LIV. XXVI, 18. Tertio eos, qui ex magistratu in prouincias sunt profecti. Ipsi etiam consules belli gerendi causa in prouincias ibant, vel forte ducta, vel comparando inter se prouincias, vel a populo decreta prouincia. Post constitutas quaestiones perpetuas, praetores magistratu in vrbe finito, forte mittebantur in prouincias, et tunc comitiis, quibus crearentur, non amplius opus erat. Tunc quoque inualuit, id quod cogitate scripsisse puto BACI. in Hist. Iur. I. 2, c. 1. §. 37, vt, qui consules fuissent, exacto magistratu in vrbe, prouincias pro consule administrandas, vel compararent vel fortirentur. In decernendis prouinciis ea obseruabatur ratio, vt ante comitia novorum magistratum, duae prouinciae consulibus, et reliquae praetoribus futuris decernerentur, quas vel in-

ter

ter se compararent, vel sortirentur, vt finito magistratu in eas irent. Sancitum hoc lege Sempronia, A. V. 632 lata, vel vt alii malunt, certius atque firmius ea cautum est, eademque lege effectum, vt decreto senatus intercedi non posset. Antequam proficiscentur, SCto ornatatur prouincia, hoc est decernebatur latitudo prouinciae, magnitudo exercitus, stipendum in milites, viaticum, comitatus, in quo erant legati, multique alii diversi generis ministri. In comitatu olim non licebat esse feminis, sed ab hoc rigore postea discessum, et cum sub Tiberii principatu Seuerus Caecina censeret, ne quem magistratum, cui prouincia obuenisset, vxor comitaretur, paucorum haec ad sensu audita, imo sententia eius elusa est. TACIT. Annal. III, 33 sqq.

## C A P. VIII.

## DE IUDICIIS POPVL ROMANI.

## §. I.

IUDICIA in ciuitate exercent illam partem potentiale Necessitas imperii ciuilis, quae versatur circa dirimendas ciuum controuersias, et defensionem vniuersiusque aduersus iudicio-  
rum iurias aliorum. Cōpetit omnibus hominibus natura ius, vi persequendi quod sibi ab aliis debetur, aduersus laesiones se defendendi, et laudentem puniendi, atque hoc ius natura competens non potuit adimi per institutio-  
nem ciuitatum. Sed ad exercitium iuris quod attinet, recte dicitur in l. 176 D. de R. I. Non est singulis conceden-  
dum quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit maioris tumultus faciendi. Coiuerunt enim homines in ciuitatem, vt vnuquisque iure suo quiete fruēretur, et tuto id ab aliis consequeretur, ideoque sublatō iure belli pri-

privati, quod in statu naturali omnibus competit, in ciuitate instituenda fuere iudicia, quae vnicuique ius suum tribui curarent, et vnumquemque aduersus iniurias aliorum defendenter.

## §. II.

Differen- OFFICIVM iudicis versatur circa duo caussarum ge-  
tia Iudici- nera: vel enim controuersiae inter ciues ortae sunt deci-  
orum. denda, vel delicta sunt coercenda. *Omnia iudicia, in-*  
*quit c. c. pro Caecin. c. 2 aut diffrabendarum controuersiarum,* *aut maleficiarum puniendorum causa reperta sunt.* Controuersiae oriuntur super iure in re, vel ad rem, vbi alter rem suam esse vel sibi deberi contendit, alter negat. Maleficia, hoc est facta dolosa, quibus damnum datur vel iniuria infertur, committuntur vel aduersus priuatos, et dicuntur delicta priuata: vel aduersus rem publicam, et dicuntur crimina. Caussae in quibus agitur de rebus ad singulorum patrimonium pertinentibus, dicuntur ciuiles. Caussae in quibus de seueritate publicae disciplinae in delinquentes et facinorosos exercenda agitur, dicuntur criminales. Hinc etiam iudicia diuiduntur in ciuilia et criminalia. De priuatis tamen delictis potest agi duobus modis, ciuiliter ad commodum pecuniarium actori applicandum; criminaliter ad coercitionem corporis, vel poenam pecuniariam fisco applicandam.

## §. III.

Differen- APVD Romanos Seru. Tullius, quod supra obserua-  
tia apud tum est, in caassis criminalibus ipse iudicem se praebet,  
Rom. querelis priuatorum discutiendis alios iudices praefiebat. Idem factitatum a consulibus. Quamuis enim DION. HAL. l. 10, p. 627 scribat, consules de iure respon-  
disse, *quacunque de re orta esset inter ciues controuer-  
sia,*

sia, idemque p. 645 de Quintio consule speciatim sequentia consignarit: *iudicia multis annis extracta petentibus reddidit, et plerasque causas ipse ex aequo bonoque dijudicauit, tota die pro tribunali sedens, apparebat tamen ex hoc ipso loco, illud extra ordinem factum esse: et plenius discimus ex discurso Appii apud DION. l. 6, p. 360, more patrio per consulem urbanum consistoria iudicium ordinata esse ad ius reddendum, proindeque consules ad exemplum regum solis iudiciis criminalibus vacarunt. Sed ne haec quidem diu tenerunt. Per legem enim Valeriam de capite ciuiis Romani, iniussa populi Romani non erat permisum consulibus ius dicere l. 2, §. 23 D. de O. I. et capitales appellatione intelligenda sunt vita, libertas, ciuitas. Hac ratione cum effectum esset, ut in causis quibusdam populus esset iudex, ex institutis Romanorum iudicia distinguantur in publica, quasi populica, et priuata. Publica versabantur circa causas ad rempublicam pertinentes, eaque exercebat populus initio quidem per se ipsum, postea maximam partem per Quaeſitores ad id constitutos, rarius iubendo quaefitionem extraordinariam. Exponendum itaque nunc specialius erit de iudiciis populi, de quaefitionibus perpetuis et extraordinariis, et de iudiciis priuatis, quibus explicabatur iurisdictio.*

#### §. IV.

**L**EX quae verabat iniussa populi Romani de capite iudicia ciuiis Romani ius dicere, sine dubio sub appellatione populi. populi comprehendebat senatores, patricios et plebeios, sed rapiebatur in aliam sententiam. Marcius Coriolanus, hostis tribunitiae potestatis, atroci sententia in plebem dicta, tantas iras in se concitatbat, vt tribuni plebis diem ei dicerent. Mouebatur quaefatio, vtrum homo patricius in iudicium plebis vocari posset? Contemtim primo Co-

N

riola-

riolanus audiebat minas tribunitias, negans poenae ius datum illi potestati. Tribuni persistebant ex lege Valerii eum vocare ad iudicium populi, per tribus suffragium latruri. Patricii comitia centuriata ex more fieri postulabant: tribuni plebis comitiis tributis iudicium committi flagitabant et peruincebant. *Haec fuit prima*, inquit DION. HAL. l. 7, p. 469 patricii hominis ad cauſam apud plebem (έν τῷ δῆμῳ) dicendam citatio; et ex illo tempore morem sibi fecerunt tribuni, quibuscumque liberet ciuibus diem ad plebem dicere, unde maximum incrementum potestas plebis habuit. Statuebat tamen postea modum lex XII Tab. fanciendo Tab. IX: *De capite ciuiis nisi per maximum comitiatum ne ferunto*, atque sic ad legitimum iudicium vocabat populum vniuersum, in comitiis centuriatis congregatum.

## §. V.

Die dicta cum populo agendi, hoc est populum rogandi, ut suffragiis suis aliquid iuberet vel vetaret, nemini ius erat a magistratibus nisi magistratibus, igitur ab initio nemini nisi quaestoribus, aedilibus, tribunis plebis permisum fuit accusare publico iudicio. BACH. Hist. Iur. l. 2, c. 1, §. 21. Inprimis tribunos plebis morem sibi fecisse diem ciuibus dicendi, iam iam dictum est. Exempla reorum, ad populi iudicium a magistratibus adductorum, magno numero occurserunt apud Liuium, et ex eo allegantur ab aliis, mihi vnum alterumue adduxisse sufficiet. T. Romilius et C. Veturius Coss. praedam ingentem ab Aequis partam, propter inopiam aerarii vendiderant. Ea res tribunis materiam criminandi ad plebem consules praebuit. Itaque ergo, ut magistratu abiere, dies dicta est Romilio ab C. Claudio Cicerone, tribuno plebis: Veturio ab L. Halieno, aedili plebis. LIV. III, 31. Inter decemuiros legum feredarum,

darum, qui ita creati erant, ne quis eo anno alias magistratus esset, erant P. Sextius et C. Iulius. *Defenso cadauere domi apud P. Sextium, patritiae gentis virum, inuenito prolatoque in concessionem, C. Iulius decemuir diem Sextio dixit, et accusator ad populum extitit.* LIV. III, 33. De potestate magistratum reos faciendi ad populum, controversia intercessit Sigonio cum Gruchio. Quando cic. de legib. III, 3, scribit: *Omnis magistratus auctoritatem iudicium unque habento, Gruchius id ea exponit, iudicium illo loco significare potestatem exercendi ad populum iudicii, disceptatoreque ac iudice populo damnandi, pro ea, quam quisque magistratus haberet potestate; contenditque, habuisse omnes magistratus eam cum populo agendi, reosque ad populum faciendi potestatem, quam nemo priuatus habebat.* Haec ex omni parte falsa esse dicit SIGON. de A. I. Prou. l. 3, c. 5, sed videtur cedere non habuisse aduersario.

### §. VI.

NON exspectabatur semper ut magistratus aliquis accidisset, sed pro re nata, SCro vel lege ad populum plebemibus beme lata, iubebatur quaestio de criminis habenda, cui praeesset quaesitor magistratus aliquis. In seditione castrensi, cum Postumius lapidibus obrutus esset, SCtum fierebat, ut de quaestione Postumianae caedis tribune primo quoque tempore ad plebem ferrent, plebsque praeficeret quaestioni quem vellet. A plebe, consensu populi, consulibus negotium mandatur. LIV. IV, 51. De occultis coniurationibus principum Capuae cum ad senatum relatum esset, quaestiones decretae, dictatoreisque quaestoribus exercendis dici placuit. Id. IX, 26. Detecta coniuratione Bacchanalium, senatus quaestionem de Bacchanalibus sacrisque nocturnis extra ordinem consulibus mandat. Id. XXXIX, 14. Non aliud illustri-

us in historia Romana occurrit iudicium, quam quo ad populum vocabatur P. Scipio Africanus. Diem dixerant duo Q. Petili, tribuni plebis. Cum dies dicendae causae venisset, Scipio citatus ad rostra subibat, sed populo commonefacto, eo die aduersus Annibalem se feliciter pugnasse, ideoque aequum esse iurgii supersederi, ex templo se iturum dicebat in Capitolium, ad Iouem certosque Deos qui Capitolio praesiderent salutandos, hor-tatusque Quirites ut secum irent, vniuersam concessionem a rostris auertebat. Die longiore producta, cum prospiceret certamina cum tribunis, nec in humilitatem causam dicentium se submittere sciret, in Litterium concedebat, ibique diem obibat. Petilii, mortuo Africano rogationem promulgabant: *Velitis, iubeatis, quaeratur quae pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho est, qui sub eius imperio fuerunt: quod eius in publicum relatum non est, vii de ea re Seru. Sulpicius, praetor urbanus, ad senatum referat, quem eam rem velit senatus quaerere de iis, qui praetores non sunt? Seru. Sulpicio dein referente, quem rogatione Petilia quaerere vellent, Q. Terentium Culleonem patres iussierunt.* LIV. XXXVIII, 50 fgg. Culeo praeerunt peregrinam eo anno sortitus erat, ut intelligimus ex cap. 42.

### §. VII.

Judicium perduellionis. Qvo tempore reges de criminibus cognoscebant, accidebat, ut regnante Tullo Hostilio Horatius, viator trium Curiatiorum, sororem, sponsi obitum lugentem, gladio transfigeret. Rapiebatur in ius ad regem: ille vero, ne tristis supplicii ipse auctor esset, duumuiros faciebat, qui Horatio perduellionem iudicarent secundum legem, prouocatione tamen ad populum permissa. LIV. I, 26. Hanc partem potestatis regiae consulibus non magis relin-

relinquendam censebant Decemuiri, quam iudicium de capite, ideoque legem scribebant: *Quaeſtores parricidii, qui de rebus capitalibus quaerant, a populo creator*. Potestatis consulum imminuenda cauſa ſcriptam eſſe legem, docet Pompon. §. 23 de O. I. Parricidium dicebatur caedes hominis liberi, quam quis ſciens fecerat. Dicebatur etiam perduellio, nam Horatio ob caedem fororis duumuiri perduellionem iudicabant. Postea perduellionis cri- men in ſpecie illud dictum eſt, quo quis liberratem populi Romani violauit, tanquam affectato regno, tribuno plebis pulsato aut interfecto, ciue Romano iudiſta cauſa virgis caefo aut percusſo, aut alio supplicio feruili affeſto. Ven. ERNESTI Ind. Lat. voce Perduellio. C. Rabirius, pro quo Cicero orationem habuit, perduellionis reus factus erat, quod Saturninum tribunum pl. interfe- ciffet. Conſtat aliunde, Caium et Lucium Caefares a praetore duumuiros conſtitutos, qui perduellionem Rabirio iudicarent. Sunt qui ſtatuant, in cauſa perduellio- nis ſemper iudicasſe duumuiros, deinde a prouocatione populum. De iudicio M. Manlii ſcribit LIV. VI, 20. *Sunt qui duumuiros, qui de perduellione anquirerent, creatos, auctores ſint*. Monent alii, contra legitimum iudiciorum modum in cauſa Rabirii reuocatos eſſe duumuiros. Ali- quid insoliti Labieno accuſatori exprobrat CIC. pro Rabir. c. 4. *Hic popularis a duumuiris, iniuſu veſtro, non iudica- ri de ciue Romano, ſed iudiſta cauſa ciuem Romanum capi- tis condemnari coegit*.

### §. VIII.

IUDICIA populi, ſi quis magistratus accuſator eſſet, Ordo iu- incipiebat a diei dictione, omnemque eorum ordinem dicatorum paucis ita proponit CIC. pro domo c. 17. Tam moderata populi. iudicia populi ſunt a maioribus conſtituta, ne, niſi prodicta

N 3

die

die quis accusetur: ut ter ante magistratus accuset, intermissa die, quam multam irroget aut iudicet: quarta sit accusatio trinum nundinum prodita die, qua die iudicium sit futurum. Addit, multa etiam ad placandum, atque misericordiam reis concessa esse. Productio diei ita siebat, ut accusator, consentis rostris, palam testaretur, se certo die, hunc vel illum ciuem, de certo crimine accusatum, eoque facto, in rebus capitalibus vadibus vadabatur reum, in mulcta praedes poscebat. Die veniente, accusator in rostris confidebat, reus rostra subibat. Scipionem Africanum *ad id fastigium rebus gestis peruenisse* dicebat Sempr. Gracchus, *ut sub rostris reum stare, et praebere aures adolescentium, conuiciis populo Romano magis deforme, quam ipsi sit.* LIV. XXXVIII, 52. Tum incipiebat accusatio, eaque intermissis diebus ter erat repetenda. In singulis accusationibus mulctam poenamue pro arbitrio dicebat accusator, quae anquifitio dicebatur. Cn. Fulvius, ob exercitum in Apulia amissum, bis erat accusatus, pecuniaque anquisitum. Tertio tanta ira accensa est, ut capite anquirendum concio succlamaret. LIV. XXVI, 3. Post tertiam accusationem, poenae mulctaeue rogatio aduersus reum conscribebatur, quae per tres nundinas promulgata manebat. Tertiis nundinis fibat quarta accusatio, eaque absoluta, reo potestas dabatur per se aut per patronos dicendi caussam. Audita defensione, magistratus accusator diem comitiis edicebat vel poscebat, quibus per populum mulctae poenae certatio erat, suffragiis eo modo ad rogationem latis, qui supra in tractatione de Comitiis declaratus est. Ad pericula accusationum auertenda comparata erant intercessiones magistratum, supplicationes ac prensationes reorum atque amicorum, mutatio vestis, vitia de coelo quae comitia turbarent, denique impetratio ab accusatore ut incepto desisteret.

steret. Copiose de iudiciis populi agit SIGON. l. 3 de Iudiciis.

### §. IX.

QVAMDI V haec populi iudicia vigeabant, populus Quæstionis de criminibus ad se delatis nouam semper rogabat legem, nes per et ipse erat iudex ac disceptator. Recipiebatur postea petuae. alia forma iudicandi: rogabantur leges perpetuae de criminibus quibusdam; constituebantur quæstiores annui, ad quos iniussu populi de criminibus ageretur; iudicabant de caussis iudices selecti. Hae quæstiones dictæ sunt perpetuae, et initium habuerunt a lege L. Calpurn. Pisonis, A. V. 604 primam quæstionem perpetuam de pecuniis repetundis constituentis. Hac de re memoriae prodidit c. 1. c. in Bruto, c. 27. Carbone forum tenente plura iudicia fieri cooperunt. Nam quæstiones perpetuae hoc adolescenti constitutæ sunt, quæ antea nullæ fuerunt. L. enim Piso, tribunus plebis, legem primus de pecuniis repetundis, Censorino et Manilio Coss. tulit. Quod dicit, plura iudicia fieri coepisse constitutis quæstionibus perpetuis, intelligi potest et de personis iudicium constituentibus, et de frequentiore criminum accusatione, quod legibus specialiter quaedam notata erant, et plures iam ad accusandum accedere poterant. Quæstiones ipsæ appellatae sunt perpetuae, tum quod forma perpetua horum iudiciorum lege praescripta erat, tum quod quæstorum prouincia erat annua, non vero ita creabantur, vt iudicio absoluto potestatem de eadem re quaerendi non amplius haberent. Antiquiores quæstiones perpetuae fuere quatuor, repetundarum, ambitus, maiestatis, peculatorum, et quatuor praetores, qui eas sortiebantur. Additis a Sulla nouis quæstionibus, adiecti sunt plures quæstores, et plerumque quidem singulae quæstiones singulis praetoriis,

bus, mandatae sunt, interdum binae singulis, interdum vna duobus.

### §. X.

Ordo quaestio- FACTA hac mutatione iudiciorum, ut de crimini-  
bus non amplius ageretur ad populum, sed ad praetores  
num. quibus quaestio iobtigisſer, magistratus accusare desierunt,  
et vnicuique de populo ius esse coepit reum in iudicium  
adducere. Vtile esse putabant, multos in ciuitate accu-  
satores esse, solebantque nobilissimi iuuenes accusations  
sibi depositare, vt adolescentiam suam commendarent.  
*cic. pro Cael. c. 7.* alii propter turpem quaestum ad accu-  
fandum accedebant, erant enim accusatoribus olim prae-  
mia constituta, quae partim legibus ipsis, ex quibus cri-  
men intendebatur, partim arbitrio eius, qui de crimine  
cognouisset, definiebantur. *BRISSON. Sel. Ant. l. 3, c. 17.*  
Ordo quaestionum talis fuit. Accusator reum in ius vo-  
cabat, et practorem in foro adiens, postulabat vt sibi li-  
ceret nomen deferre. Tum die constituta, accusator  
primum calumniam iurabat, dein nomen deferebat, po-  
stulando vt in tabulas inter reos deferretur, et subscribe-  
bat in crimen. Si plures accusare vellent, iudices cognos-  
cebant cui potissimum accusatio permittenda esset, atque  
haec iudicium cognitio Diuinatio appellabatur *GELL. II, 4.*  
Praetor plerumque die decimo accusatorem et reum ad-  
esse iubebat; ex lege Licinia et Iunia die tricesimo, *cic.*  
*in Vatin. c. 14.* Die iudicii, nomina iudicium, qui ad  
iudicia eius anni delecti erant, in vrnam mittebat, et ex  
his numerum, qui lege praescriptus erat, sortiebatur.  
Si qui reicerentur alios subsortiebatur. In quibusdam  
cauſis licebat accusatori edere iudices, qui dicebantur  
Edititii. Caufa ipsa peragebatur accusatione et defensi-  
one, quam vtramque plures inter se plerumque partie-  
bantur. Caufa ab oratoribus perorata, iudices in consi-  
lium

lium mittebantur, et tabellas accipiebant absolutionis, condemnationis et ampliationis litteris inscriptas, quarum aliquam in vnam coniicere necesse habebant, antequam lege Glauicia comperendinandi necessitas imposta, hoc est iubendi accusatorem et reum iterum adesse, ut causa secunda vice agatur, et quidem in diem perendinum. vid. BRISSON. Sel. Ant. l. 2, c. 1, et latius I. A. SPIES de Comperendinatione.

## §. XI.

PRAETORES quaestores, in foro, atque in tribu-  
nali, et in sella curuli sedentes, gladio ante se posito in quaesti-  
signum imperii, quaestionem exercabant cum eis iudici-  
onis. Ad-  
bus qui eis obtigerant, sedentibus in suis subselliis. Ade-  
rat iudicii unus, qui dicebatur iudex quaestoris, cui  
omnia tribuuntur quae praetori quaestori, ut praeesse  
quaestioni, quaerere lege, subsortitio, ex quibus intelli-  
gitur, fuisse praetoris vicarium. Ven. ERNESTI Ind. Lat.  
voc. *Quaestio*. Munia eius speciatim haec fuisse tradun-  
tur: datum actionem exercebat, iudices sortiebatur, te-  
stes audiebat, quaestiones habebat, tabulas inspiciebat,  
quae praetor fere propri occupationes, aut propter di-  
gnitatis fastigium non curabat. SIGON. de *Iudic.* l. 2, c. 5.  
quo loco etiam disputat, vtrum iudex quaestoris fuerit  
magistratus? et affirmandum censet, dissentiente HEI-  
NEC. in *Antiquit. ad tit. de publ. iud.* §. 15 per l. 1. pr. et §. 1.  
D. ad L. CORN. de *Sicar.* Illud constat, fuisse fere aedili-  
tiorum hominum munus, et gradum ad praeturam, ut  
iudices quaestoris fierent. De C. Vifellio CIC. in *Brut.*  
c. 76. Cum post curulem aedilitatem iudex quaestoris esset.  
Et pro Cuent. c. 29 C. Iunium, qui quaestori praefuerat.  
vocat hominem aedilium, iam praetorem opinionibus ho-  
minum constitutum. Quod Caesar quaestionem de sicariis

O

ex-

exercuisse legitur apud SVETON. c. II, explicat CASAVB. in not. Caesarem post aedilitatem fuisse iudicem quaestio-  
nis, eique praetori operam nauasse, cui sorte contigerat  
quaestio inter sicarios. Iudices illi selecti, per quos iudi-  
cia siebant, erant primum ex senatorio ordine, postea  
nunc ex equestri, nunc ex vtroque, nunc ex tribus or-  
dinibus simul. Legebantur quotannis certo numero, qui  
non semper fuit idem, et in decurias erant distributi.  
Vbi iudicium erat habendum, tot sorte ex illis duceban-  
tur, quot singulis iudiciis leges definiissent.

## §. XII.

Quaestio- CONSTITVTIS licet quaestionibus perpetuis, acci-  
nes ex- debat tamen, vt ob criminis nouitatem vel atrocitatem  
traordi- ex legibus de criminibus latis de eo quaeri non posset,  
nariae. vel querendum non videretur, ideoque noua lege vel  
SCto quaestio iuberetur. Hae quaestiones dicuntur ex-  
traordinariae. L. Tubulus praetor A. V. 611, cum quaesti-  
onem inter sicarios exercens, pecuniam cepisset ob rem  
iudicandam, P. Scaeuola, trib. pl. anno proximo ferebat  
ad plebem, vellente de ea re quaeri, et decernebatur a  
senatu consuli quaestio. CIC. de Fin. II, 16. C. Mamilius,  
trib. pl. promulgabat extra ordinem, vt quereretur in  
eos, quorum consilii lugurtha Senatus decreta neglexis-  
set, et creabantur tres quaestores. SALVST. bell. Iugurtb.  
c. 40. Orto bello sociali A. V. 663 a Q. Vario Hybrida,  
trib. pl. ferebatur lex, vt quaestio haberetur de iis, quo-  
rum opera consilique socii arma sumissent contra popu-  
lum Romanum. In P. Clodium quaestio extra ordinem  
ob polluta sacra constituebatur. De caede et de vi erant  
quaestiones perpetuae, et tamen, cum Clodius in via  
Appia a Milone occisus esset, Cn. Pompeius, consul fa-  
ctus, legem ferebat de vi, qua caedem in via Appia fa-  
ctam,

etiam, nominatum complectebatur, et iudicium habendum sic ordinabat, ut quaesitor non esset de more praetor, sed suffragiis populi e consularibus eligeretur. Ex torquebant hanc quaestionem extraordinariam tribuni plebis, aliqui qui caedem Clodii persequi constituerant. Hanc quaestionem, inquit c. c. pro Mil. c. 5, et si non est iniqua, nunquam tamen senatus constituendam putauit. Erant enim leges, erant quaestiones, vel de caede vel de vi, nec tantum moorem ac luctum senatu mors P. Clodii afferebat, ut noua quaesito constitueretur. Forma quaestionalis in Milionem definiebatur lege, quae de ea ferebatur, idemque de aliis existimandum.

## §. XIII.

IVDICIA priuata sunt, quae versantur circa causas, Iudicia in quibus priuatorum commodum vnicce agitur, adeoque priuata. in illis hi tantum agunt ad quos ea res pertinet, et quisque prosequitur quod sua interest. Comoda priuatorum continentur iuribus, quibus vi constitutionis ciuitatis ciues frui debent respectu personarum, et respectu iuris in re et ad rem. Eorum aliquod si aufertur, vel immunitur, vel si usus iuris impeditur, alterque id pati non vult, oritur controversia, harumque distrahendarum causa reperta sunt iudicia priuata. In statu civili legibus naturalibus quedam adduntur, quaedam detrahuntur, ut negotia possint habere exitum, et ut salus publica restringatur. In exercendo iudicio leges ciuiles ad factum sufficienter cognitum sunt applicandae, isque modus procedendi obseruandus, quem leges iudicariae praescribunt. Apud Romanos leges XII tabularum erant fons iuris ciuilis, et ad earum praescriptum controversiae in iudicio disceptandae erant et decidenda, hinc iudicium etiam definitur quod sit legitima causae disceptatio et decisio.

O 2

§. XIV.

## §. XIV.

Iurisdi-  
ctio:

DISCERNATIO et decisio controversiarum, quas priuati inter se habebant, dicebatur iurisdictio, eaque caussis priuatis ita propria erat ut publicis quaestio. Liberae quidem reipublicae temporibus rem ita se habuisse, et iurisdictionem in caussis priuatis vnice versatam esse, cum ad multa recte intelligenda probe obseruandum sit, curatus euincendum duxit Ven. ERNESTI Ind. Lat. voc. *Iurisdictio*, duobus usus argumentis. Vnum est, quod iurisdictio omnis posita fuit in edicto, et ex edicto decretis. Quando enim c. c. *Verr. II*, 48 dicit: *An dubitabit quisquam, quin is venalem in Sicilia iurisdictionem habuerit, qui Romae totum edictum atque omnia decreta vendiderit?* manifestum est, tanquam res easdem sibi substitui iurisdictionem et decreta cum edicto. Alterum argumentum est, quod iurisdictio Romae vni praetori urbano et peregrino tribuitur, quorum magistratus in solis caussis priuatis versabatur, et quaestionibus discrete opponitur. Tota iurisdictio praetoris continebatur tribus verbis: do, dico, addico. Dabat actionem et exceptionem, bonorum possessionem, iudices, tutores. Dicebat ius dicendo, sententiam ferendo, aliquem liberum esse decernendo, interdicendo, quoties de possessione agebatur. Addicebat facta in iure cessione vel mancipatione. Haec omnia ad caussas priuatorum pertinebant.

## §. XV.

Quaedam  
fiebant  
in iure.

EXERCITIVM iurisdictionis pluribus constabat actibus, qui ita distribuebantur, ut quidam a praetore ipso expedirentur, alii a iudicibus datis. Priora in iure, reliqua in iudicio fieri dicebantur. Ius denotat hic locum, in quo iuris dicundi caussa consistebat praetor. Erat is vel superior vel planus. Superior locus erat tribunal,

fug-

suggestus editior in comitio , et in eo sella curulis . Iu-  
cunde animos et oculos pascit Ill. c. F. HOMMELII Pro-  
lus. de forma tribunalis et maiestate praetoris . Locus pla-  
nus siue aequus erat locus quicunque , in quo praetor  
stans vel procedens copiam sui faciebat , et tunc de pla-  
no cognoscere dicebatur . Omnium actionum instituen-  
darum principium proficisciебatur ab in ius vocatione ,  
qua is , qui lege agere volebat , alterum , vnde peteba-  
tur , die quodam postulationum monebat , vt se ad tribu-  
nal sequeretur ; erant quippe dies alii postulationibus ,  
alii cognitionibus destinati . Vbi vocatus ad praetorem  
venerat , actor , impetrata loquendi potestate , actionem  
edebat , declarando qua actione experiri vellet , saepe e-  
nim pluribus modis item intendere poterat . Edita acti-  
one postulabat actor a praetore , vt sibi liceret eam in  
reum intendere , tumque vadabatur reum , petendo spon-  
sores , fore vt certo die in iure se sisteret , reus autem  
vadimonium siue praesentiam promittebat . Actiones au-  
tem ita solennes erant , vt causa caderet is , qui non ,  
quemadmodum oporteret ageret , c. c. de Inuent . II , 19 ,  
nec formula vadimonii ab alio , quam harum rerum pe-  
rito concipi poterat . ad Quint . fratr . II , 14 . Die cogniti-  
onis praetor actiones editas ac postularas recitari , atque  
actores reosque citari per accusum iubebat , vt iudicia  
actionibus eorum cognoscendis daret . Si litigatores non  
adessent , perdeabant item , et reo vadimonium deseren-  
te , praetor in ipsius bona iri iubebat . Si vterque se sti-  
terat , tum prior reus prouocabat actorem , eumque ro-  
gabat : Quid ais ? respondebat actor , exempli gratia : aio  
fundum , quem possides , meum esse , adhibens formulam  
quae singulis actionibus erat propria . Intentionem  
actoris si reus negando vel excipiendo elidere conaretur ,  
proximum erat vt iudex postularetur , qui , si inter litigan-

O 3

tes

tes conuenisset, dabatur a praetore cum certa formula, praefitisque satisfactionibus litis contestatio fiebat, quae videtur facta adhibitis testibus, hanc institutam esse actionem, reum hoc vel illo modo contradixisse, sponsiones has inter litigantes intercessisse, datumque hac formula iudicem. HEINECC. *Antiquit. ad tit. de action. §. 42.* Et haec quidem in iure fieri dicebantur. Prolixius singula discutit SIGON. *de Iudic. l. 1.*

## §. XVI.

Quaedam INITIVM iudicij erat, cum iudex a praetore datus in iudi- accederet ad dispiciendum, vtrum actor intentionem su- cijo. am, an reus exceptionem probare posset. Hoc vero eo ordine fiebat, vt die perendino post litis contestationem iudex in comitium se conferret, ibique ad aram, quae puteal Libonis dicebatur, primo omnium iuraret, se ex lege iudicaturum. Si iudex alterue ex litigatoribus, causa sonica impeditus, non adesset, dies iudicij diffiniebatur. Alter litigantium si abesset, nec iustum excusationis causam afferret, edictis citabatur. Ambo si praesentes essent, calumniam iurare iubebantur. Tum causam perorabatur, quod duobus modis fiebat, uno cum paucis verbis et quasi per indicem causam exponebatur, quod causae coniectio dicebatur; altero cum longiore oratione, prolatis tabulis, testibus, et argumentis ex ipsa re, de qua agebatur, depromtis, vtrinque certabatur. Iudex qui cognitioni vacabat, operam dare dicebatur. l. 18. D. de iudiciis et c. 1. c. ad famil. VII, 24. Dixit iudicem si- bi operam dare constituisse. Vbi oratores finem dicendi fecerant, ad sententiarii ferendam veniebatur. Quod ve- ro tradunt, sententiam post meridiem esse latam, idque probant ex verbis XII Tab. Post meridiem praesenti item addicito, haud scio an recte fiat. Certe IAC. GOTHOFR. in

in notis contendit, praetorem iuberi hac lege praesenti actionem dare, iudiciumque constituere in poenam absentis. Solebant autem in ferenda sententia usurpare verbum *videri*, v. c. *videri iure fecisse vel non fecisse*, quo verbo etiam uti solebant in decretis senatus, in legibus et plebiscitis. *cviac. Obs. III, 26.*

## §. XVII.

DISCEP TATO R E illi caussarum priuatarum, variis Diversis insigniuntur nominibus. Dicuntur iudices, et cum additatis iudicato pedanei, arbitri, recuperatores, decemviri stlitibus cum iudicandis, centumui. Cur variis nominibus appellati sunt, qui tamen omnes eodem iudicandi munere functi sunt? cur ad alias caussas alii iudices sint constituti? quae-nam iudiciorum fuerit coniunctio, vel ab inuicem discre-tio? non ita explorare constat, vt distincte omnia doceri queant. Apparebit hoc, vbi mox de singulis iudicis generibus agetur. Inquirendum antea, quaenam iudicibus fuenterint communia. Hoc itaque si quaerimus, omni-no dicendum videtur, iudices omnes fuisse adiutores praetoris, praesertim urbani, in exercenda iurisdictione, ab eodem esse lectos ad munus hoc suscipiendum, et ex eius mandato ad iudicandum accessisse. Confirmatur hoc inde, quod iudicia ab illis facta sunt ex formula a praetore praescripta. Iudices pedaneos atque arbitros cum formula datos esse, dubitationem non habet. Idem obti-nuisse si recuperatores darentur, probatur ex *Verr. III,* 28, vbi legimus de Argyrinensibus ad Verrem praetorem euocatis: *Quaerebant, quae in verba recuperatores daret. Respondebat, si patret aduersus edictum fecisse.* Iudices caussarum priuatarum lecti videntur a praetore, ex cor-pore quodam iudicium selectorum, perinde atque illi, qui in caassis publicis iudices sedebant. Docet hoc GELL.

XIV,

XIV, 2 de se ipso scribens: *Quo primum tempore a praetoribus lectus in iudices sum, ut iudicia, quae appellantur priuata, susciparem.* Lectos esse ex equitibus et in album descriptos, indicat *SENEC. de benef. III, 7.* *Vbi id, de quo sola sapientia decernit, in controuerfiam incidit, non potest ad haec sumi iudex ex turba selectorum, quem census in album, et equestris haereditas misit.* Et *SVENTON. in Domit. c. 8.* *Equitem Romanum, ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissae adulterii crimen intenderat, erasit iudicium albo.*

### §. XVIII.

Iudex pedaneus.  
Arbitri.

**IUDICVM** nomine speciatim veniunt illi, qui et iudices dati, et speciales iudices, et pedanei, et delegati appellantur. *BRISSON. de V. S. voce iudex.* Pedanei dicebantur, quia non in tribunal, sed in imis subselliis, adeoque velut ad pedes praetoris sedebant. Dabantur a praetore, postquam actor in iure impetraverat, ut sibi liceret actionem reo intendere, eorumque erat de factis, ad quae ius applicandum erat, dispicere. Iudex pedaneus mandatam iurisdictionem suscipiebat, proprium nihil habebat, ideoque formulam accipiebat a praetore secundum quam iudicaret. Et quidem actiones stricti iuris discutiebantur a iudicibus, adhibitis in consilium aliquot iuris peritis. C. Aquilius in causa Quintii iudex datus, tres iurisconsultos in consilium aduocavit, quorum nomina leguntur *Or. pro Quintio c. 17.* Apud *GELL. XII, 13* Sulpicius cur, inquit, hoc me potius rogas, quam ex ipsis aliquem peritis studioisque iuris, quos adhibere in consilium iudicaturi soletis? Ad causas bonae fidei diiudicandas dabantur arbitri, illique in formula non ad certum quid adstringebantur, in quod condemnandus esset reus, sed illis permittebatur, ut ex aequo et bono aestimarent, quemadmodum actori satisfieri oporteret. In arbitrio erat

rat mite, moderatum, quantum aequius et melius, id da-  
ri. c. c. pro Q. Roscio c. 4.

## §. XIX.

RECUPERATORVM crebra occurrit mentio, sed dif- Recupe-  
ficle est ostendere differentiam eorum a reliquis iudici- ratores.  
bus. Non male recuperatores inde deduci dicit SCHVL-  
TING. ad Vlpian. tit. i. §. 13, quia per eos suum quisque  
recuperabat, quod facit quoque Theophil. ad §. 4. I. qui  
et ex quib. cauf. Recensebo caussas aliquas, ad quas dati  
leguntur. Capta Carthagine noua, cum Scipio consti-  
tuisset corona murali donare eum qui primus muros  
ascendisset, contentione orta; tres recuperatores considerare,  
et cauſam cognoscere iussit. LIV. XXVI, 48. Hispaniae le-  
gati, cum conquesti essent de magistratum Romanorum  
avaritia, L. Canuleio praetori, qui Hispaniam sortitus  
erat, negotium datum, ut in singulos, a quibus Hispani  
pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio  
daret. LIV. XLIII, 2. Poena iniuriarum, XII Tab. sanci-  
ta, cum minor esset quam vt a faciendis iniuriis deterrere  
posset, praetores iniuriis aestimandis recuperatores se da-  
tueros edixerunt. GELL. XX, 1. Imperator §. 7 I. de iniur.  
dicit, praetorem permisisse iniuriam passis eam aestimare,  
vt index condemnaret. Flavia Domitilla, latinae condi-  
tionis, recuperatorio iudicio ingenua et ciuis Romana  
pronunciabatur. SVETON. Vesp. c. 3. In cauſa Caecinae  
Cicero ad recuperatores dicebat, a praetore datos vt co-  
gnoscerent, vtrum Caecina contra interdictum praeto-  
ris de vi, hominibus armatis ab aduersario deiectus esset.  
Eos e centumuiris datos, ex eo manifestum esse dicit V.  
ERNESTI ad Suet. Domit. c. 8, quod cauffae, quas ad re-  
cuperatores actas discimus e Cicerone aliisque, velut de  
statu hominum, inter centumuirales nominantur.

P

§. XX.

## §. XX.

Centum-  
wiri.

CENTVM VIRI numero rotundo dicti, qui e XXXV tribubus electi sunt ad iudicandum, terni e singulis, adeoque omnino fuerunt centum et quinque. Tribus A.V. 512 expletas esse nouimus, circa hoc itaque tempus collegium centumuirale creditur constitutum, et quidem lege Aebutia, GELL. XVI, 10 cum notis Gronou. idque iudicium nec priuatum nec publicum fuisse, sed popolare, et quodammodo vniuersi populi Romani consilium, disputat SIBRAND. TETARD. SIC CAMA de Iudic. Centumuir. l.l. c. 6, 7. Iudicabat illud de cauissis grauioribus, quibus non de facto, sed de iure et aequitate certabatur, in primis de haereditariis. Caussas centumuirales recenset CEC. de Orat. I, 38. Iactare se in cauissis centumuiralibus, in quibus usucacionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, paretum, luminum, sillicidiorum, testamentorum ruptorum, ceterarumque rerum innumerabilium iura versentur. Locus iudicii erat basilica Iulia, praeses Praetor. Ita enim PLIN. Epist. V, 21. Descenderam in basilicam Iuliam, - - sedebant iudices, decemuiri venerant, - - tandem a praetore nuntius: dimittuntur centumuiri. De distributione huius iudicii in quatuor consilia, de aucto iudicium numero, et de sententiis diuisim latis, scribit idem VI, 33. Accia quadruplici iudicio bona paterna repetebat. Sedebant iudices centum et octoginta: tot enim quatuor consilia conseribuntur - - Secutus est varius euentus. Nam duobus consiliis vici- mus, tordidem vieti sumus. Sub libera republica collegium centumuirale in certa consilia iam descriptum fuisse, locuples testis est VAL. MAX. VII, 7, 1. vbi narrat, militem illum, cuius pater ob falsum nuntium de morte filii acceptum, testamentum mutauerat, apud centumuiros omnibus non solum consiliis, sed etiam sententiis superiorum dices-

discessisse. Caussam hanc ad centumuiros delatam, memorat iam c. 1. de *Orat.* I, 38. Centumuirale iudicium dicebatur etiam hastae iudicium, VAL. MAX. VII, 8. no. 1 et 4 quia duabus defixis hastis exercebatur; hasta autem erat insigne iurisdictionis.

### §. XXI.

**D E C E M V I R I S T L I T I B V S I V D I C A N D I S**, auctore Decemviris  
**Pompon. §. 29 de O. I.** instituti sunt, postquam praetor peregrinus creatus erat; quod cum factum sit anno ante bus iudicibus expletas, intelligimus, decemuiri hos collegio candis, centumuirali esse coaeuos. Caussa institutionis allegatur, quod esset necessarius magistratus qui hastae praeesset. Quia centumuirale iudicium etiam hastae iudicium dicebatur, ideo C VIAC. cit. §. 29 ita explicat, decemuiri coegerisse centumuiros, eisque praeseditissime praetorum vice, et fuisse quidem ipsos decemuiri magistratus, non iudices, ceteros centumuiri iudices, non magistratus. Non erat negandum decemuiri iudicasse, ita enim CIC. pro Caecin. c. 33. Cum Arretinae mulieris libertatem defendarem, et Cotta decemuiri religionem iniiciassem, -- decemuiri prima actione non iudicauerunt. Ex eo vero quod apud Ciceronem decemuiri iudicasse dicuntur, porro colligit BACH. Hist. Jur. Rom. I, 2, c. 1, §. 28. magistratus non fuisse, quandoquidem in magistratus, certe istis temporibus, non conueniat ut iudicarent, et Pomponium dicit securum rationem temporum Caesareorum, quibus decemuiri inter magistratus minores fuisse dici potest. Porro Pomponio non concedit BACH. I. c. VI decemuiri olim hastae praefuerint, quia Augustus demum auctor fuit, ut centumuiralem bastam, quam quaesturae functi consuerant cogere, decemuiri cogerent. SVETON. Aug. c. 36. Quodnam igitur tandem de his decemuiri

uiris iudicium feremus? Per ipsam denominationem adscribendi sunt iudicibus cauſarum priuatarum, et quia iudicis centumuiralibus interfuiſſe, et cauſas centumuirales iudicaffe leguntur, ſubſcribendum videtur ſententia GRAEVII in praef. ad tom. II. Thes. Ant. vbi dicit, decemuiros in confilio praetori fuſſe, eosque rexiſſe iudicia centumuiralia, nec ea alia fuſſe a decemuirorum et praetoriiſ iudicis, in quibus ipfe praetor ac decemuiρum cum centumuiris cauſas cognoscebat. Addiderim tamen, aliquando ſolos decemuiros iuſſu praetorii ſedife iudices. Plane propria quaſi iurisdictione de cauſis praetoriiſ iudicibus iudicaffe cenſet SICCAMA de Iudic. Centumu. c. 10.

## §. XXII.

Imperi-  
um me-  
rum et  
mixtum.

QVANTVMVIS diuersa inter ſe eſſent iurisdictione et imperium, ſiquidem iurisdictione poſta erat in potestate cognoscendi et decidendi cauſas priuatas, imperium autem in potestate coercendi et animaduertendi, quia tamen iurisdictione ſine modica coercione nulla eſt, l. vlt. D. de Off. eius, pars aliqua imperii, quea coercionem coniuncta fuit, et ſicut olim iurisdictione et quaſtio, ita poſte imperium merum et mixtum diſtingui cooperunt. Distinctionem hanc proponit et explicat l. 3 D. de Iurisdict. Imperium aut merum aut mixtum eſt. Merum imperium eſt habere gladii potestatem, ad animaduertendum facinorofos homines, quod etiam potestas appellatur. Mixtum eſt imperium cui etiam iurisdictione in eſt. Gladii potestas Romae erat penes quaſitores, qui de criminibus cognoscebat, et damnatos puniebant ſecundum legum praefcripta: iurisdictione erat penes praetores urbanum et peregrinum. Illi itaque merum habebant imperium, hi mixtum. Differentiae et affectiones utriusque imperii ut plenius eluēſcant, in compendio refe-

referam quae latius exposuit Ios. AVERANIVS *Interpretat.* *Iur. l. 1, c. 1, 2 et 4.* Mixtum imperium, ita appellatum quia miscetur iurisdictioni, est potestas modice coercendi, cohaerens iurisdictioni, ut ab ea separari non possit. Comprehendit pignora capere, multam dicere, corpus retinere, vinculis coercere, et modice verberare. Hanc potestatem habebant soli magistratus maiores. Minoribus habebant et ipsi mixtum imperium, sed non plenum et excellens, idcirco sine imperio esse dicebantur. Merum imperium continet exercitionem publici iudicii, et exsecutionem condemnationis. Nusquam in iure fit mentio quod iure magistratus competat, sed dabatur aut a populo lege curiata, aut a senatu. Lege curiata dabatur consulibus ad bellum proficiscentibus. A senatu dabatur iisdem in rebus trepidis, cum decernebatur: videbant Consules ne quid resp. detrimenti caperet. Comprehendebat in aliis magistratis plura, in aliis pauciora genera animaduerzionum. Haec tenus AVERANIVS. Ex mente Beati G. L. MENCKENII praceptoris quondam mei, post fata adhuc venerandi, in Progr. *Merum imperium non esse iurisdictionem criminalem, appellatio meri imperii solam denotat exsecutionem sententiae, quae peracto iudicio alii magistratui, quales erant Triumviri capitales, demandabatur.*

## CAP. IX.

DE ONERIBVS PVLICIS CIVIVM  
ROMANORVM.

## §. I.

**C**OMMODA quae ex consociatione in ciuitatem redundant in singulos, qui eius membra sunt, non possunt ciuium sicut Rom.

P 3

sunt obtineri absque variis oneribus, sustinendis ab iis qui commodorum volunt fieri participes. Administratio reipublicae in partibus eius diuersis, magnos requirit sumtus. Defensio aduersus vim hostilem obligat ciues ad operas militares praefandas, et ad conferendum sumtus qui in bellum faciendi sunt. *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis baberi queunt*, vt est apud TACIT. Hist. IV, 74. Onera itaque, quae boni communis cauſa a ciuibus ferenda sunt, vel sunt personalia, quae consistunt in operis praefendas, vel realia, quae consistunt in sumtibus publicis conferendis. Pertinet ad constitutionem reipublicae, vt determinentur modi, quibus sumtus publici a ciuibus conferendi, et ad defensionem aduersus impetus hostiles ciues accingendi sint. Ex institutis Romanorum hic agendum de censu, militia, tributis et vectigalibus. SIGON. de A. I. C. R. I, c. 14 fgg. quatuor haec spectat tanquam iura ciuium Romanorum, ad ius publicum pertinentia, respectu habito ad qualemcumque praerogatiuam, quae circa ea ciuibus dabatur prae sociis et prouincialibus; sed quia in iure publico vniuersali, sumtus reipublicae administrandae ac defendendae cauſa faciendi, onera reipublicae dicuntur, et operae militares sine dubio oneribus accensendae sunt, spero reprehensionem non habiturum, quod ad eam potissimum indolem respicio, quam in omni ciuitate habent.

## §. II.

Census.

REDITVS publici certissimum fundamentum habent in fructibus rerum soli, hinc Romulus, antequam curias agros sortiri iuberet, eximebat partem quae esset iuris publici. DION. H. I, 2. p. 82. Onera autem extraordinaria sub regibus ita imperabantur, vt possessionum non habeatur

retur ratio, donec Seru. Tullius censum instituebat, rem saluberrimam tanto futuro imperio, vt ait LIV. I, 42 ex quo belli pacisque munia, non viritim vt ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Census consistebat in publica descriptione ciuium bonorumque. Ciues, dato iureiurando, profitebantur nomina sua, vxorum, liberorum, libertorum, seruorum, aetatem omnium, regionem quam habitarent. Bonorum professio ita siebat, vt patresfamilias singula praedia, et urbana et rustica, pecuniae summae, pecudum numerum, fundorumque instrumenta in censu deferrent. Forma censualis, Vlpiani aeuo recepta, refertur in l. 4 D. de Censibus. Census describebatur in tabulas censorias, ex quibus proinde constabat de numero ciuium et magnitudine pecuniarum. Pro suo cuique censu tributum imperabatur, ita vt opulentissimi plus pecuniae contribuerent quam caeteri. Interdum censores censum multiplicabant pro austeritate sua vel affectu animi. M. Porcii Catonis in censibus accipiendis tristis et aspera in omnes ordines censura fuit: ornamenta, et vestem muliebrem, et vetricula quae pluris quam quindecim millium aeris essent, in censum referre viatores iussit. LIV. XXXIX, 44. Distribuerat Seruius ciues pro ratione census in sex classes. Quinta classis undecim millibus censebatur. Infra hunc censum positi, immunes erant a tributis et militia, et in sexta hac classe erant proletarii et capite censi. Inter utroque id interfuisse ex Julio Paullo scribit GELL. XVI, 10, vt capite censi pauperiores essent proletarii. Falsum hoc pronunciauit Salmasius, et eosdem et proletarios et capite censos dictos esse voluit. Sed quia vocabulis differunt, certe etiam rebus eos discretos fuisse, ex mente GRONOV in not. ad Gellii loc. cit. statuitur securius, etiamsi istius humilitatis proprias differentias et certe obseruatas nunc perdidimus,

## §. III.

## §. III.

Urbanus A GEBATVR census et in vrbe et in prouinciis. In  
er pro- vrbe non alios censeri fas erat, quam qui essent ciues Ro-  
uincialis. Saepius tamen auditae sunt quaerelae sociorum ac  
Latini nominis, ciues suos Romam commigrasse, et ibi  
censos esse, quod, si permittatur, perpaucis lustris fu-  
turum dicebant, vt deserta oppida, deserti agri, nullum  
militem dare possent. LIV. XLII, 8. Fraudibus his, cum  
aliquoties obuiam itum esset edictis, quibus iubebatur,  
vt in suam quisque ciuitatem redirent, tandem A. V. 659  
L. Licinio Crasso, et Q. Mucio Scaeuola Coss. ferebatur  
lex Licinia Mucia, ne quis sit pro ciue, qui non sit ciuis,  
CIC. Offic. III, 11, qua tamen lege adeo offensi sunt Ita-  
lorum animi, vt ob eam potissimum paullo post bellum  
Italicum conflaretur. Absentibus ad censum venire ne-  
cessa fuit, sed M. Liuius Salinator et C. Claudius cen-  
sores, per prouincias dimisérunt censores, vt ciuium Romanor-  
um in exercitibus, quantus vbique esset, referretur nume-  
rus. LIV. XXIX, 37. In prouinciis census, vel, si mauis,  
professio censualis, nouum onus et noua tributa in solum  
et capita afferebat. Qui censum subterfugeret, publicatis  
bonis verberatus venibat. Quomodo autem haec poe-  
na consistere potuerit cum libertate ciuium Romanorum,  
quae nemini inuito auferri poterat, docet CIC. pro Caeci-  
na c. 34. Populus cum incensum vendit, hoc iudicat; cum  
is, qui in seruitute iusta fuerit, censu liberetur, eum, qui,  
cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abiu-  
dicasse.

## §. IV.

Lustrum.

CENSU perfecto, Seruius rex omnes ciues Roma-  
nos in campo Martio adesse iubebat, ibique instructum  
exercitum sue, oue, taurilibus lustrabat, idque conditum  
lustrum

*lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est.* LIV. I, 44. Eadem ceremonia consules postea et censors finem faciebant censui. Cum A. V. 294 census actus esset, *lustrum propter Capitolium captum, consulem occisum, conditum religiosum fuit.* LIV. III, 22, sed anno sequente, *census, res priore anno inchoata, perficitur: idque lustrum ab origine urbis decimum conditum.* loc. cit. c. 24. Eo magis autem necessarium habebatur ut lustrum conderetur, quia prudentes censabant, lustrum confirmari quae in censu acta essent. Hinc illud apud CIC. de Orat. I, 40. *De libertate, quo iudicium grauius esse nullum potest, nonne ex iure civili potest esse contentio, cum quaeritur, is, qui domini voluntate census sit, continuo an ubi lustrum conditum liber sit?* Dicebatur hoc sacrificium Suovetaurilia, ab animalibus quae ter circa exercitum ducta, Marti immolabuntur. cf. OBRECHT. Diff. Acad. IX de censu Augusti c. 1.

## §. V.

ROMA continua quasi agitabatur bellis. Ianus, quem clausum parvum, apertum belli indicem fecerat Numa, intra 724 annos ter tantum clausus fuit, sub Numa, post bellum Punicum imperfectum, et post bellum Aetiacum, ab imperatore Caesare Augusto pace terra marique parta. LIV. I, 19. Nullo bello populus Romanus, quamvis multis proeliis victus est. Robur militiae Romanae consistebat in legionibus, in quas non legebantur nisi ciues Romani ingenui, et in quinque classibus censi, ultima enim classis ciuium a militia erat immunis. Quando itaque seruos, libertinos, capite censos, histriones ad arma vocatos legimus, id non nisi cogente necessitate et in re trepidam factum est. C. Marius sustinebat milites scribere non more maiorum, neque ex classibus, sed capite censos plerosque. SALLVST. Bell. Iugurth. c. 99. Legio, prouisus reipublicae et arbitrio senatus, modo quatuor, modo quinque, modo sex peditum millibus, itemque modo ducentis, modo trecentis equitibus constabat. Pedites distribuebant in cohortes et manipulos: equites in turmas et decurias. Peditem erant quatuor genera: Velites, leviter armati, quorum institutionem et vnum refert VAL. MAX. I, 2, c. 3. Hastati, prima frons in acie, florem iuuenum pubescentium ad militiam habens. Principes, qui aetate iam erant robustiores, insignibus maxime armis: Triarii, veterani milites, speciales virtutis. Hastati omnium primi pugnam inibant; si profigare hostem non possent, eos retrocedentes in interualla ordinum principes recipiebant: tum principum pugna erat. Si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum, ad triarios sensim referebantur. Inde, ad triarios rem redisse, cum laboratur, prouerbio increbuit. LIV. VIII, 8

## Q

## §. VI.

## §. VI.

**Delectus.** EXERCITVS in hostem ducendi comparabantur legendo milites, et delectus sic instituebatur. Consul in bellum profecturus, editio proposito omnes militariae aetate praeditos in Capitolum conuocabat. Ex tribubus nominatin citabantur iuniores, et per tribunos militem in legiones ad scribentur. Interdum delectus particulares habebantur, ita enim LIV. IV. 45. Delectum haberi non ex toto passim populo placuit: decem tribus forte ductae sunt: ex his scriptos iuniores duo tribuni ad bellum duxerunt. Citati ad nomen respondere tenebantur, sed in diffidiis inter patres et plebem faepe non respondebant, vt denegatione ministerii extorquerent quod cupiebant. Flagrante discordia propter nexos ob aes alienum, cum delectus habendus esset *conules in tribunal ascendunt, citant nominatin iuniores, ad nomen nemo respondeat* LIV. II. 28. Exorta contentione super confusatu et connubis cum plebe communicandis, Canniclus, tribunus pl. dicebat: *Si haec impedit aliquis, ferte sermonibus et multiplicate fama bella, nemo est nomen daturus, nemo arma capturus, nemo dimicaturus*. LIV. IV. 4. Nec tamen semper impunita erat contumacia. M. Curius conjul, cum delectum subito edicere coactus esset, et iuniorum nemo respondisset, conicetus in fortem omnibus tribubus, Polliae, quae prima exierat, primum nomen urna extrahitum citari iussit: neque cor respondente, bona adolescentis hastae subiecit. VAL. MAX. I, 6, c. 3. n. 4. L. Manili acerbitas in delectu, partim virginis caesis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis, iniussa erat. LIV. VII. 4. Repentina auxilia olim subitarios milites appellabant. LIV. III. 4, postea tumultuarios. Id. XXXV, 2.

## §. VII.

**Sacra-  
mentum  
militiae.** MILES non censebatur, et iure pugnare cum hoste nemo poterat apud Romanos, nisi qui militiae sacramento adstriclus esset. Catonis filius, cum dimissa legione in qua militabat, amore pugnandi in exercitu remansisset, *Cato ad Pomplium scribebat, ut si eum pateretur in exercitu remanere, secundo cum obligaret militiae sacramento, quia, priore amissio, iure cum hostibus pugnare non poterat.* CIC. de Offic. I, 11. Sacramentum militiae constititio arbitror in afflueratione solemni: iussu consulatu conuenturos, nec iniussu abituros. Maius quiddam sacramento militari erat iusurandum, de quo LIV. XXII, 38. *Milites tunc, nempe bello Punico II, quod nunquam ante factum erat, iureiurando a tribus suis militum adacti, iussu consulum conuenturos, neque iniussu abituros: nam ad eam diem nil praeter sacramentum fuerat.* Iusurandum hoc praefitum esse credo, diro quodam carmine in execrationem capitis composito, ad imitationem eius quod Samnites exiguisse leguntur X, 38, vt maiorum esset religio. Ita nunquam antea iuratum erat, ideoque hic

hic locus non contradicit ei, quod scribit *liv. III, 29*, quod, quo tempore P. Valerius ad recipientum Capitolium arma plebi dedit, omnes *in verba iurauerint*, conuenturos se iussu consulis, nec iniussu abituros: Sacramento militiae addebat ipsi inter se milites foedus voluntarium, se se fugae atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recusuros, quod dicebatur coniunctio, eaque bello Punico II itidem ad legitimam iuris iurandi adactionem transferebatur. Apud *GELL. X, I, 4* duplex occurrit insurandum militare, vnum ita conceptum, vt in exercitu furtum non facerent, alterum, vt adessent, additis quibusdam exceptionibus.

## § VIII.

**MILITABANT** Romani, quilibet suo sumtu, vsque ad A. V. 347, Stipendium quo Anxure Volkorum oppido expugnato, senatus deernebat, *vt sibi dia-* *pendium miles de publico acciperet. liv. IV, 59*. Paullo post, bello Veienti A. V. 352, cum equites et plebeii voluntariam militiam professi essent, placebat senatus, *omnibus his, voluntariam extra ordinem professis militiam, aera procedere; et equis certus numerus aeris est assignatur. Tum primum equis merere equites cooperunt. liv. V, 7*. Stipendia mere-re incipiebant ab anno aetatis decimo septimo, interdum citius, si necessitas flagitaret. Bello Punico II, cum ob inopiam iuniorum Consules delectum aegre conficerent, binis triumviris negotium dabatur, *vt omnem copiam iuniorum inspicerent, et, si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiam si nondum militari aetate essent, militare facerent. Tribuni plebis, si iis videretur, ad populum ferrent, et qui minores septem et decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem et decem annorum, aut maiores, milites facti essent. liv. XXV, 5*. Legitima stipendia equitum erant decem, peditum viginti annorum, ab anno aetatis decimo septimo vsque ad quadragesimum sextum confiencia. Qui emeritis stipendiis erant, dicebantur Veterani, et habebant vacationem a militia. Sp. Ligustinus apud *liv. XLII, 34*. Viginti duo, ait, *stipendia annua in exercitu emerita habeo, et maior anni sum quinquaginta*, et ambo illa vacationem sibi dare afferit. Interdum tamen, praefertim in tumultu, vacatio non dabatur. Tumultus erat perturbatio tanta, vt maior timor oriretur. Tumultum Italicum quod erat domesticus; tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitus, praeterea nullum tumultum nominabant Romani. Bello vacationes valebant, tumultu non valebant circ. *Philipp. VIII, 1*. Exorto bello Aurunco, *quod per magnos tumultus fieri solitum erat, iustitio indicio, delectus sine vacationibus habuitus. liv. VII, 28*. Honefia vacatio dicebatur, quam quis habebat ab emeritis stipendiis, ab aetate, ab honoribus, vt sacerdotes, a beneficio senatus: cauaria dabatur ob viti-

um animi vel corporis. A. V. 370, cum pluribus exercitibus opus esset, tertius exercitus ex causariis senioribusque scribebatur, qui urbi morenibusque praefidio esset. LIV. VI, 6.

## §. IX.

Disciplina militaris.

DISCIPLINA militaris, praeter ea quae ad aciem instruandam, et castra ponenda pertinebant, continebatur legibus et institutis de militum moribus, vita, laboribus, exercitationibus et coercionibus, eamque diligenter et seuerre regebant Romani. Morum disciplinam cognoscere possumus ex delictis propriis, quae multis modis a militibus committi poterant, veluti desertione, emanatione, flatonis derelictione, armorum amissione aut alienatione, excessu ab agmine, valli transfcensione, fossae transitione, segnitia, contumacia, vulneratione com-militorum, vid. I. 3 et 9 D. de remilit. Vita castrensis ad austерitatem erat composta. P. Corn. Scipio, consul in Hispaniam missus, eodem tempore momento, quo castra intravit, edixit: ut omnes ex his, quae voluptatis causa comparata essent, auferrentur ac summucentur. VAL. MAX. I. 2, c. 7, n. 1. Labores militares stupendi erant in obsidionibus, in vallis struendis, fossis ducendis, in lybernis aedificandis, vt dicit LIV. XXVI, t. quae multis urbibus originem dederunt. Exercitationes continuae, ambulando militari gradu, currendo ordinibus feruntur, saliendo, natando, aliisque artibus. Poenae militares erant vel ignominiosae, vt stipendio ipsioliari, cibum stantem capere, hordeo pasci, discinctum defitui; vel corporis afflictuiae, vt virgis caedi, fustuarium pati, non enim aquae in castris milites, ac in urbe ciues lex aduersus virgas et fecures defendebat. Inter ignominias militares una erat, quam etiam GELL. X. 8. speciatim notandam duxit: *ubere militi venam solvi, et sanguinem dimitti*. De ratione huius animadversioris alii alter sentiunt, vid. GRONOV. in not. ad l.c.

Tributa.

TRIBUTVM dicitur pecunia, a pluribus in medium collata, et primitus exigebatur ob commates militares, ceterosque bello impendendos suntus. More antiquo, quem in usum retinocabat Tarquinius Superbus, tantundem conserbant diues et pauperissimus, DION. HAL. I. 4, p. 245. sed a Seruio tributi aequaliter ex censu conferendi inita ratio erat. LIV. I, 43 eademque sub libera republica obseruata est. Cum militibus stipendum de publico decretum esset, tribuni plebis autem tributum, ex quo conficeretur pecunia, populo indici nollent, patres bene coepitam rem perseveranter tueri: conservere ipsi primi: et quia nondum argentum signatum erat, aes graue playbris quidam ad avarium conuicentes, speciosam etiam collationem faciebant. Cum senatus summa fide ex censu contulisset, -- certamen conferendi est ortum.

LIV.

**LIV. IV, 60.** Tributum saepe a tribunis impeditum, aliquando a fenu-  
tu remissum, sed et interdum ob necessitatem gravis imperatum. E-  
rat etiam tributum quoddam, temerarium dictum, quando in magnis  
periculis omnes, quicquid poterant, in aerarium conferebant, quod  
accipiebatur tanquam aes alienum, depulso periculo restituendu-  
m. Bello Punico II pecuniae quoque pupillares et viduarum co-  
optae conferri, nusquam eas tutius sanetiusque deponere *credentibus qui*  
*deserabant, quam in publica fide.* LIV. XXIV, 18. Tandem aerario fatis  
locuplerato vectigalibus annuis, et praedis iuvenis ab hostibus re-  
portatis, tributa exiguntur. *Omnis Macedonum gaza, quae fuit ma-*  
*xima, potitus est Paulus.* Tantum in aerarium pecuniae inueniuntur, ut uni-  
us imperatoris praeda finem attulerit tributorum. CIC. de Offic. II, 22.

## §. XI.

VECTIGAL proprie est pecunia quae pro vectura, seu pro mer-  
cibus importandis et exportandis exigitur; sed generalius vectigalia lia.  
appellata sunt omnes redditus, quibus aerarium praeter tributa locu-  
pletabatur, seu, ut BVRMANN. de Vectigal. P. R. c. 1. dicit, qui ex re  
aliis, publico obligata, ad aerarium perueniebant, tributa enim per  
tribus a singulis conferebantur. Cum ciuium collationes sufficiere non  
possent sustinendis tot bellorum oneribus, iniuenta sunt vectigalia,  
quibus impensae sine priuatorum incommodo perferrentur, et eo-  
rum redditibus aerarii opes ita confirmare insituerunt, ut sumptus ad  
publicas necessitates sine difficultate suppeditaret. Praecipuae speci-  
es vectigalium fuerunt Decumae, Scriptura, Portoria, vectigal ex fa-  
linis, vicefina manumissionum et haereditatum, de quibus singulis  
nunc paullo explicatus dicendum erit. De conductionibus vectiga-  
lium supra iam exppositum.

## §. XII.

DECUMAE erant vectigal, quod ex agrorum fructibus reipublicae De-  
persoluebatur. Quando enim Romani populum aliquem in ditionem *Decu-*  
acceperant, agros eius vel totos in publicum reipublicae patrimonium *miae.*  
redigebant, vel militibus et inopie plebi diuidebant, vnde coloniae ortae:  
vel gentibus deuictis colendos relinquebant, sub annuo ex eorum fru-  
ctibus vectigali. Ex primi generis agris omnes redditus ad aerarium per-  
tinebant, iisque erant certissimum subsidium reipublicae in magnis ne-  
cessitatibus. Italo bello, amissis ceteris vectigalibus, agri Campani  
fructibus exercitus aluerant Romani. CIC. Agrar. II, c. 29. et alio tem-  
pore, *quia pecu ia ad bellum debeat, agri Campani regionem, a fossa*  
*Graeca ad mare versus, vendere queflores in se.* LIV. XXVIII, 46. Co-  
loni, ex agris sibi assignatis, vectigal aliquod publico pendebant, quod  
pro lege, qua deductio eorum facta erat, et pro terrae vertute vel iteri-  
litate

Q. 3

litate maius vel minus exigebatur. Gentes deuictae, quibus agri coleri di relinquebantur, praefabant decumas ad modum fructuum, easque non pecunia, sed frumento soluebant. Praecipue Roman alebat Sicilia, cui deinde aliae prouinciae frumentariae adiectae sunt.

## §. XIII.

Leges agrariae.

DE agris assignandis et possideundis saepius leges latae sunt, quae dicuntur Agrariae. Plebs inops urbana speclabat assignationem agrorum tanquam rem sibi debitam, et tribuni plebis feditiosi hac veluti face incendebant plebis animos ad intestinas discordias. Patribus plerumque ingratiae erant leges agrariae, tum propter periculum amittendi possessiones occupatas, tum quod largitiones itae aptae erant ad res nouandas. Hernicis deniclis, cum Cassius Consul agros plebi diuisurus erat, *id multos quidem patrum, ipsos possessores, periculo rerum suarum terrebat: sed et publica patribus sollicitudo erat, largitione consulem periculosas libertati opes struere.* Tum primum lex agraria promulgata est, nunquam deinde usque ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata. LIV. II, 41. Post varia certamina de re agraria, quae tribunis plebis semper materia seditionum fuit, C. Licinius, A. V. 379 promulgabat legem de modo agrorum, ne quis plus quingenta iugera agri possideret. LIV. VI, 35. quem tamen modum ipse postea excelsit, ideoque a M. Popilio Lenate decem millibus aeris est damnatus, *quod mille iugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset.* LIV. VII, 16. Lex Licinia eo fine promulgabatur, ut patriciorum opes acciderentur. Durabat quies a motibus agrariis usque ad C. Flaminium, qui legem agrariam aliquot annis ante secundum Punicum bellum tribunus plebis ferebat, iniuncto senatu, cie. Acad. Quaest. IV, 5. de agro Gallico et Piceno viritim diuidendo, Brut. c. 14. Sequebatur A. V. 609 lex Licinia altera de septem iugerbis viritim assignandis, ex Romuli enim instituto bina iugera plebeiae assignationis modum implebant. Modum hunc antiquum indicat prior ille Licinius, auctor legis de quingentis iugerbis, fatigando patres apud LIV. VI, 36. *Audenterne posulare, vt, cum bina iugera agri plebi diuiderentur, ipsi plus quingenta iugera habere licet?* ut singuli prope trecentorum ciuium possiderent agros? Sed non continebat se diuitium cupidores intra modum praescriptum, ideoque Tib. Gracchus A. V. 620 denuo promulgabat legem agrariam de quingentis iugerbis, et decem annis interpositis; C. Gracchus legem Tiberii fratris renoncavat. VELL. PAT. II, 2 et 6. LIV. Epit. LVIII. Promulgabat postea M. Liv. Drusus, tribunus pl. legem agrariam de colonis deducendis per Italiam et Siciliam, et p[ro]ae aliis adhuc celebratur lex Thoria, cuius tamen

tamen non satis manifesta est sententia. **BACH.** *Hist. Iur.* l. 2, c. 2,  
scit. I, §. 61. Postremis reipublicae temporibus L. Apuleius Saturninus, P. Seruilius Rullus, L. Flavius, tribuni plebis, rogationibus agraris rempublicam agitabant. L. Corn. Sulla, Nola in Samnio recepta, quadriginta septem legiones in agros captos deducebat. **LIV.**  
*Epit. LXXXIX.* Tandem Iul. Caesar campum Stellatem agrumque Campanum XX millibus ciuium, quibus terni pluresue liberi essent, diuidebat. **SVENTON.** in *Caes. c. 20.* Pluribus hoc argumentum exoriat OBRECHT. *Diffrt. Acad. VI de Legib. Agrar. Pop. Rem.*

## §. XIV.

**SCRIPTVRA** erat **vectigal**, quod ex pascuis et saltibus, quorum **Scriptura**. proprietas ad rempublicam pertinebat, pro pastione gregum soluebatur. Appellatio inde orta, quod pastores numerum pecudum, quas in pascua publica immittere vellent, apud publicanum profiteri debebat, qui eum in tabulis suis annotabat, ex qua scriptura postea ratio inter pastorem et publicanum conficiebatur. Si quis pecudes quas non erat professus, vel etiam plures, quam publicano annotandas dederat, pauper, poena videtur fuisse, ut pecudes caderent in commissum, et publicanus eas sibi pro fraudato vectigali vindicaret. Inter pascua publica celebris erat silva Scantia, de qua **cic. Agrar. I, c. 1.** *Siluam vero tu Scantiam vendas, nobis consulibus, atque hoc senatu? tu vilium vectigal attingas?* Qui pascua publica conduxerant, vt inde vectigal colligerent, dicti sunt Pecuarii, item Scripturarii, quia pecudem in rationibus scriebant.

## §. XV.

**PORTORIVM** erat **vectigal**, quod in portibus pro inuehendis et Portoria. inuehendis mercibus soluebatur, eique obnoxiae erant res omnes promerciales, et quea magis ad luxuriam quam ad usum parata erat suppellex. Ne fraudarentur a negotiatoribus publicani, mercium professionem exigebant, et merces ipsi excutiebant: res quas quis professus non erat, in commissum caderant. Ministri publicanorum erant portidores, qui in portu sedebant, merces excutiebant, et vectigalia exigebant, atque hi sunt, quos iniquitate et acerbitate exactiōnū infames fuisse legimus. Quantum portorii nomine soluendum fuerit, non satis exploratum habemus, et forte per legem censoriam, in locationibus impostam, magnitudine portorii definita est. Syracusis vicepsim mercium portorii nomine solutam esse, apparet ex *Verr. II,* 75. Tempore Ciceronis portoria Italiae tollebantur, ob querelas ciuium, qui non tam de portorio, quam de nonnullis iniuriis portitorum queabantur. Ad *Quint. frat. I, 1, c. II.* Ve eadem re scribit ad *Attic. II, 16.*

Por.

*Portorūs Italiae sublatis, agro Campano diuisō, quod vectigal supereſt  
domēſticum, praeter viceſimam?*

§. XVI.

**Vectigal  
Salina-  
rum.**

SALINAS apud Romanos instituit Ancus Martius, de quo *I. I.*  
*33. In ore Tiberis Hostia vrbis condita: salinae circa factae.* Hae salinae  
videntur priuati iuris fuisse, ita enim idem *II. 9* *Salis vendendi arbitri-  
um, quia impenso pretio venibat, in publicum omni sumptu, ad emum pri-  
uatis.* De vera lectione folliciti sunt interpretes, sénatus interim perlucet. Vectigal sali imponi coepit bello Panico *II.*, *M. Liui et C. Clau-  
dio censoribus, de quibus *I. V. XXIX. 37.* Vectigal etiam nouum ex  
falaria annona statuerunt. Sextante sal et Romae et per totam Italiā  
erat. Romae pretio eodem, pluris in foris et conciliabulis, et alio alibi pre-  
tio præbendum locauerunt. Id vectigal commentum alterum ex cens-  
ribus credebat; inde Salinatori Liui inditum cognomen. Quantum  
hoc vectigal fuerit, nusquam indicatur. Metallorum vectigalia, ex qui-  
bus aerario incredibile emolumentum obueniebat, potius onus erant  
provincialium, quam ciuium Romanorum.*

§. XVII.

**Viceſima  
manu-  
miſſio-  
num.**

PINGVE in primis vectigal erat, quod ex manumissione seruorum  
soluebatur, et dicebatur viceſima manumissionum, eratque pars pecu-  
niae, qua vendi posset seruus qui manumitterebatur. Originem habet a  
Cn. Manlio Cos de quo *I. V. VII. 16.* Legem nouo exemplo ad Sutrium  
in caſtris tributum, de viceſima eorum qui manumitterentur tulit: pa-  
tres, quia ea lege hanc parvum vectigal in opere aerario additum erat, au-  
tores fuerunt. Seruusne manumissus, an dominus manumittens hoc  
vectigal soluere debuerit, non satis conſtat. Verius videtur, seruum  
soluere debuisse, et hinc factum esse, ut sublatis reliquis vectigalibus do-  
mesticis, viceſima supereſt, quia a libertinis pendebat. Viceſima  
haec in auro solui solebat, unde aurum viceſinarium, quod in sanctio-  
ni aerario ad ultimos caſus feruabatur. *I. V. 27. 12.* Non incongrue ex-  
iſtimaretur, viceſinam fuisse instar census, qui soluendus erat pro re-  
ceptione in numerum ciuium, et fauet huic opinioni, quod ab ea im-  
munes fuisse traduntur, qui iustam libertatem, quae ius ciuitatis Ro-  
manae tribuebat, non conſequabantur. Hinc intelligitur, quaenam fu-  
erit gratuita libertas, quam Fl. Vespafianum, imperium adeptum, sup-  
pliciter orabat ſenex bubulus, et ob quam negatam proclamabat: Vul-  
pem pilum mutare, non mores: svet. in *Vespaf. c. 16.* Viceſinam ha-  
reditatium, quia deinde post tempora libertatis introducta est, praeter-  
mitto. Saepius citandus fuisset P. BVRMANN. de Vectigal. Pop. Rom.  
Si singula afferta eius auctoritate confirmare voluſsem.



**ULB Halle**  
005 350 883

3



WIP



B.I.G.

Farbkarte #13

